AUTHOR:
BOHM, ADOLF

TITLE:
MARCO AURELIO PROBO IMPERATORE ...

PLACE:
VRASTISLAVIAE

DATE:
1867

Master Negative #

91-80066-1

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Böhm, Adolf, 1841-
De Marco Aurelio Probo imperatore Romano...
Vratislaviae typis A. Neumanni, 1867.
48 p. 21 cm.

Thesis, Breslau.

Volume of pamphlets

 Another copy.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 MM REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB
DATE FILMED: 6/25 INITIALS BG
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

CONTENTS.

DE MARCO AURELIO PROBO IMPERATORE ROMANO.

DISSERTATIO
INAUGURALIS HISTORICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE VIADRINA

PHILOSOPHORUM ORDINIS

AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XVII. MENSIS APRILIS A. MDCCCLXVII

HORA XI

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ADOLPHUS BOEHM,

MARCHICUS.

ADVERSARII ERUNT:

E. MELZER, DR. PHILOS.
A. WEINHOLD, REFEREND. JUD. SUP.
R. FISCHER, STUD. MED.

VRATISLAVIAE.

TYPIS A. NEUMANNI.

De M. Aurelio Probo imperatore Romano.

Natus est M. Aurelius Probus[1]) anno ducentesimo tricesimo secundo[2]) imperatore Alexandro Severo Sirmii[3]), in urbe Pannoniae. Oriundus igitur erat e regione, unde tam multi imperatores Romani exstiterunt.

---

[1]) Conf. annot. I. dissertationi addita.

[2]) Vixit (Probus) annos L. Chron. Alex. Quum anno 282 sit interfectus, necesse est anno 232 esse natum. Cui rei est consentaneum, quod Valerianus imperator (253—260) „paene imberbem" eum appellat, (Vop. Prob. 3 et 4) quum Probus initio ejus imperii viginti fere et nonnullos annos natus fuerit. Probum secundum Bucherii „Natales Caesarum", quem sequitur vir ill. Tillemont (Hist. des empereurs etc. à Bruxelles 1712 tome III. p. 1127) die 19. m. Augusti natum esse, in medio relinquendum censemus. Clinton in fastis Romanis Bucherium auctorem, Probum ante XIV Calendas Septembres natum esse, secutus in opere ipso ad annum 282 p. 320 recte ratiocinatur, (d. 19. m. Augusti) in „additions and corrections" p. 854 false dicit. (die 18. m. Aug.)

[3]) Oriundus e Pannonia civitate Sirmiensi Vop. Prob. 3; Aurel. Victor de Caess 37 nomine magis communi appellat Probum „in Illyrico factum". Pannoniae enim Illyricique permutatio, quae saepius invenitur, hoc ipso loco minus mira videri potest, quia Sirmium, quod oppidum nos dicimus „Mitrowitz", haud procul erat ab ipso provinciarum Pannoniae et Illyrici confinio situm ad ripam septentrionalem Savi, quod flumen sejungebat has provincias. In tabula Peut. Sirmium Pannoniae inferioris fuisse videmus. Ceterum hanc urbem Aurel. Victor aeque ac Vopiscus Prob. 21 vocat „urbem patriam" neque, si patria non fuisset, tanta diligentia eam Probus coluisset. (Vop. Prob. 18 et 21.)

Hac in urbe Probi pater, cui utrum Maximi an Dalmatii[4]) fuerit nomen, haud satis constat, in hortis colendis tunc quidem versabatur, postea vero rei militari operam dedit et quum virtute ac disciplina ita eminuisset, ut ad tribuni gradum ascenderet, in Aegypto diem supremum obiit[5]) superstitibus uxore filia et

---

[4]) Aurelius Vict. epit. 37 Probi patri nomen indidit Dalmatii, Vopiscus Prob. 3 Maximi. Hoc nomen affert Vopiscus, „ ut quidam (sc. id nomen) in litteras retulerunt.“ Etiam in rebus, quae minoris sunt momenti, nisi forte bibliothecae scripta praesto erant, certis documentis hic rerum scriptor niti studebat. Flavius Vopiscus. qui plurima de Probo memoriae prodidit, scripsit res inde ab Aureliano usque ad Carinum, admonitus a Junio Tiberiano praefecto urbis, cui, id quod ex allocutione saepe iterata (Prob. 2 etc) facile apparet, librum dedicavit. Quae ejus favore ex bibliotheca Ulpia praesto erant. magno studio iis incubuit. Prob. 2. „Usus autem sum, ne in aliquo fallam, ... praecipue libris ex bibliotheca Ulpia . . . . Usus etiam ex regestis scribarum porticus Porphyreticae, actis etiam senatus ac populi . . . . ephemeris Turduli Gallicani plurimum juvit.“ Aliis quoque locis, qui alii sint fontes, dicit, ut in vita Aureliani 8, 15, 16, 24, Saturnini 9, quo suum ipsius atavum, Bonosi 14, quo Onesimum quendam Probi biographum appellat.

Quamvis rebus, quas enarravit, num ipse adfuerit. nusquam satis appareat, tamen auctoritate fontibusque enisum veritatem multis locis eum investigare potuisse facile est intellectu Jam quum ad amicum scriberet, non erat, cur aliter ac sentiret, scriberet, immo necesse erat, quantum in se erat, verum diceret, quippe cui favor ejus viri esset spectandus, qui, quum, ut Vopiscus, et ipse a tempore, de quo esset narratio, haud longe distaret, facile, utrum vere recteque scriberet, necne, dignoscere posset.

Ita Vopiscus, quamvis et nimia fere admiratione Probi affectus neque alienus sit ab erroribus, tamen historico est fons dignus, quem maiore fide sequi possit.

Hoc loco existimare, quae apud Vopiscum plurima de Probo afferentem legimus, aptum esse videbatur.

[5]) Duo sunt auctores, qui tradunt de Probi patre, Aurel. Victor epit. 37: „Probus genitus patre agresti hortorum studioso“ et Vopiscus, qui Probi patrem vitam militarem decurrisse narrat. (Prob. 3.) Facile cogitari potest, Probi patrem, quum quidem filius nasceretur ac dum pueritiam degeret, in agris hortisve colendis versatum esse, postea vero capessisse—verisimile est iterum atque iterum ad militiam patrem accessisse, id quod illud „ordines ducere“ Vop. Prob. 3 indicare videtur, — rem militarem. Quod nisi ita fuisse posueris, mirum tibi videbitur, quomodo potuerit fieri, ut Probus imperator vinetis plantandis (cf. Vop. Prob. 18) magno studio atque amore operam navaret, praesertim quum jam adolescentulus militiae se dedisset. Neque sine causa videtur ea potissimum loca, quae Sirmio

Probo[6]). Qui in castris finibusque, quibus propter crebras incursiones pericula ab hostibus bellicosis continenter imminerent, natus et quum puer jam patrem videret in proelia saepe prodeuntem vita militari assuefactus, summo exardescebat studio in hostes patriae bellandi. Itaque una cum suis in patriam reversus anno fere 249 valde adolescentulus[7]) nomen dedit militiae ad Danubium eo tempore, quo Gothi imperatore Decio (249—251) imperium Romanum aggredi incipiebant.

Quae sub Decio Gallo (251—253) et Aemiliano gesserit Probus, non traditum est, sed conjicere possumus, juvenem per hoc tempus Valeriano duce tunc in Raetia et Norico agente (Eutrop. IX. 7) meruisse, quod epistolae a Vopisco Prob. 4 et 5 relatae Probum Valeriano bene notum fuisse docent.

Auspiciis igitur viri, quem „in tota vita sua censorem fuisse“[8]) senatus dicere potuit, in militiam ingressus mox animi corporisque virtutibus[9]) ita Valeriani sibi conciliavit favorem, ut ab eo imperatore creato, tribunus militum[10]), quamvis aetate adhuc impar huic ordini

---

circumjacent, ad vineta colenda delegisse, quippe quae inde a pueritia, qua humo essent, satis cognosset, ita ut mirum nobis non possit videri, si ea praesertim loca elegerit, quibus alia nulla essent ad id ipsum magis diutiusque accomodata. Probi patrem in Aegypto fuisse Probumque secum habuisse (Vop. Prob. 3) opera molesque postea a Probo imperatore ibi exstructa (Vop. Prob. 9) demonstrare videntur, quae quidem terrae humique quandam cognitionem requirunt.

[6]) Conf. annot. II.

[7]) Vop Prob. 4. „Et meum secutus judicium, quod semper de Probo adolescente primo habui.“ Unde videmus, Valerianum jam diutius familiarem fuisse Probo, quem, quum jam ante annum 257 (cf. n. 10.) tribunus fieret, qua quidem occasione illis verbis Valerianus in epistola ad Gallienum filium scripta usus est, verisimile est, jam sedecim vel septendecim annorum adolescentem, quae aetas militaris e lege requirebatur, militem esse factum. Itaque, quum tribunus crearetur, iterum „imberbis“ vocatur, (Vop. Prob. 4) quum tunc non jam esset plus viginti fere duos annos natus.

[8]) Conf. Treb. Poll. Valerianus pater et filius cap. 1.

[9]) Haec elucent e capitibus 3 et 4 Vop. Prob.

[10]) Quum anno 257 Valerianus Gothis bellum intulerit, quod Vop. Prob. 5 dicit Sarmaticum, apparet Probum, qui in eodem bello tribunus jam esset, (eod. cap.) ante annum 257 hunc gradum esse assecutum, immo videtur verisimile statim eum tribunum esse factum, simulatque imperator est creatus Valerianus. (253.) Sed initio modo

esset, contra legem Hadriani[11]) crearetur. Nec potuit fieri, quin vir fortissimus, qualem fuisse Probum omnes auctores testantur, inter proelia continua ac pestem illam terribilem quindecim annorum (252—267), quae certe exercitui non minus quam civibus perniciosa fuit, mature et celeriter ad majores ordines militares ascenderet. Qui quidem honor magno erat decori Probi virtutibus, quas, quum nomini satis responderent, pueros omnes imitari se velle dixit Valerianus[12]). Haec quum adderet imperator vix est dubium, quin de moribus incertis ac fluctantibus Gallieni filii cogitaverit, ad quem occidentem defensurum misit Probum cum auxiliaribus, ipse ad propulsandos hostes in orientem versus iter facturus.

Summa pericula hoc tempore imperio Romano instabant, quum una regnantibus patri filioque, imperii, quod dilabebatur jam sensim paullatimque, quidquid conservari posset, tenendum esset. Germani enim, ut vultures praedam circumvolitantes fines majoribus quam antea unquam exercitibus circumdabant progressuri, quo minime erat expectatum. Gothi pontum Euxinum transgressi rapiebant ac devastabant fines. Alamanni Francique, quae gentes Rhenum accolebant, quam maximis poterant viribus Galliam petebant neque non a Danubio populi, quacunque optime poterant via fines Romanos aggredi et perrumpere studebant. Quibus temporibus nulla erant aptiora ad educandum Probum, ut omni vi enisus semper et ubique his populis nomini Romano infestissimis obsisteret.

Primum ad Gallienum[12]) inde ab anno fere 255 ad Rhenum pugnantem missus est Probus, ut gentibus trans Danubium superiorem[13]) in Italiam prorupturis resiste-

sex cohortes Saracenas auxiliares Gallos et manum Persarum duxit, (Prob. 4) ita ut toti legioni non praeesset, id quod inde quoque patet, quod postea (Vop. Prob V.) Valerianus legionem tertiam Probo traditam majores exercitus vocat.

[11]) Conf. Ael. Spartian. Hadriani vita c. 10.

[12]) Vop. Prob 4.

[13]) Probus tunc in Raetia fuisse videtur. Quamvis ex epistola ad Gallienum scripta, (Vop. Prob. 4) qua de Probo tribuno creato certiorem Valerianus filium facit creatumque ei commendat, quo missus sit Probus, non possit erui, tamen paene certe inde possu-

ret. Haud ita multo post (annis 256 et 257) Probum una cum Valeriano contra Sarmatas[14]) videmus rem gerere, quum via in orientem versus armis esset acquirenda. Probum nuper tribunum creatum, quem, qua esset virtute exploratum jam habebat, sibi adjunxerat Valerianus adjutorem et quum spem Probus non fefellisset, summis praemiis honoribusque imperator eum affecit[15]). Praeter ea legionem tertiam felicem appellatam ducendam Probo dedit. Itaque in Raetiam[16]) proficisci est jussus, ut eam regionem tueretur.

Ubi quantum perfecerit, auctore quidem Vopisco non constat, sed ex indiciis nonnullis[17]) aliorum scriptorum potest colligi, Probum Germanos per Raetiam prorumpentes ab Italia removere non satis valuisse.

mus concludere, quod in eadem epistola sex cohortes Saracenas et Persarum manum ei traditas esse legimus. Quum enim Vopiscus Aurel. 11 multos alios orientales auxiliares, inter quos sagittarios, quorum opera imperatores inde ab Alexandro Severo potissimum in proeliis cum Germanis commissis uti solebant, (conf. Jul. Capitolinus Maximini duo c. 11.) afferat, dubii nihil reliquum est, quin tertiae legionis fuerint, quod aliis quoque locis commixta esse nationibus variis dicitur. Jam vero quum ea legio in Raetia (vide infra annot. 16) collocata Probo postea tradita sit, quod initio annotationis diximus, minime refutandum videtur.

[14]) Vop. Prob. 5.

[15]) Vop. Prob. 5, In his corona civica ei est tradita.

[16]) Apud Dionem 55, 24 legimus, tertiam legionem a Marco Aurelio conscriptam atque in Raetia constitutam esse. Ibi permansit usque ad imperii Romani finem. Haec tertia legio ubi antiquae Raetiae castra stativa habuerit, inscriptiones in regionibus Bavaricis, quae hodie dicuntur „Schwaben et Neuburg“ ad „Lauingen et Liezheim“ inventae demonstrant. (Conf. Staelin, Wirtembergische Geschichte 1841 p. 50 et 51.) Quae quidem legio, mixta erat ex colluvione omnium gentium. Cf. Böcking ad Notit. dignitt. Occid. c. 34 p. 765 sq Ibidem Raetia dicitur haec legio.

In universum magis Probi ut in Occidente praesentis fortiterque se gerentis mentio facta est in epistola Gallieni a Vopisco Prob. 6 allata: „habeo tamen Probum, quo laborante possim esse securus, qui si affuisset, (sc. in Oriente; antea enim de fatali necessitate belli Persici dixit) ille ne nominandus quidem tyrannus sibi usurpasset nunquam imperium“

[17]) Germani Ravennam usque venerunt. Eutrop. 9,7; (sc. imperantibus Valeriano et Gallieno). Alamannorum vis tunc aeque Italiam possidebat Aurel. Vict. de Caess. 33 (de Gallieno.) Quibus testimoniis in Chron. Hieron. et ab Orosio VII, 22 additur, Germanos per Raetiam profectos Alpes esse transgressos.

Postquam in Raetia per tres fere annos [18]) rem gessit, Probum adhuc juvenem [19]) videmus summam [20]) imperii militaris tenere in Illyrico, quam ei tradiderat Gallienus. [21])

Eandem ac Valerianus fidem, postquam hic in Oriente tristem foedamque mortem occubuit, filius ejus Gallienus Probo habuit, qui Probum ingenio moribusque inter omnes praestitisse disertissime in epistola ad tribunos exercituum Illyricianorum scripta docet. [21])

Probus illuc missus est, ubi triginta qui dicuntur tyrannorum nonnulli rem publicam capessere tentaverant. [22]) Itaque erat agendum Probo et ut imperatoris rebus prospiceret eumque in his regionibus defenderet ab aemulis et ut fines imperii tueretur contra externos hostes, qui armis nunquam positis, praesertim quum intestina illa discordia imperium Romanum distraheretur, incursiones iterum ac saepius summa audacia faciebant. Sarmatae celerius opinione e cladibus a Valeriano acceptis se refecerant [23]) ac Probo haud procul a patria saepissime acriter pugnandum cum iis fuisse verisimile est, quorum perseverantia constantiaque multo majori quam ulla arma periculo erant imperio Romano.

Gravi illic ac difficili munere videtur esse functus, dum eum Aurelianus imperator factus in Orientem aut secum duxit aut arcessivit, quod Probi virtutem occasione data sine dubio perspexerat. [24]) Consentaneum

---

[18]) Probus tertiae legioni anno fere 257 tribunus praefectus et Valerianus anno 260 captus est, unde, quum Gallienum statim post captum Valerianum belli Illyrici summam ei tradidisse ex ipsius epistola in Vop. Prob. 6 allata videamus, concludi potest, quam diu in Raetia fuerit Probus.

[19]) Probus quum anno 232 natus esset, casu Valeriani intercedente, duodetriginta annos egit.

[20]) Gallienus tribunis exercituum Illyricorum secundum Vopiscum Prob. 6, scribit: „Quare omnes vos consiliis ejus cupio parere etc.

[21]) Vop. Prob. 6.

[22]) Hanc rem jure possumus inde concludere, quod jam duo his in regionibus aemuli imperii Gallieno exstiterant, Regillianus in Illyrico (cf. Treb. Poll. triginta tyrami IX.) et Ingenuus in Moesia (cf. ibid. VIII.)

[23]) Regilliano jam iterum cum Sarmatis dimicandum fuisse narrat Treb. Poll. trig. tyr. IX.

[24]) „Ut scias, quanti te faciam" Aurelianus Probo scribit. Vop. Prob. 6.

enim est, in pugna, quam Claudius coactis omnibus copiis propinquis cum Gothis ad Naissum commisit, cuique et ipse Aurelianus interfuit, pugnasse Probum. Quem postea secum tribunum habuit Aurelianus, quum a Thracia quoque amoveret Gothos. [25])

Iterum ad medium Danubium tuendum [26]) Aurelianus, quum ipse imperator esset factus, decimae legioni praefecit Probum, ut ipse contra Alamannos, qui in Italiam irruperant, dimicare posset. Quibus devictis Aurelianus quum imperii Romani fines ab occidentalibus hostibus tutos reddidisset, contra Zenobiam in Orientem versus comite Probo [27]) profectus est.

Omnino familiarissime Aurelianus Probo usus esse videtur, qui, quamvis imperator ingenio duro esset, tamen apud eum tantum valebat, ut disciplinam „ferream" ac saepe crudelem temperaret et in justam mutaret severitatem. [28]) Probus enim et ipse severus, sed idem justus erat.

---

[25]) Res elucere videtur ex epistola Aureliano a Claudio imperatore scripta Vop. Aurel. 17. „Tuo magisterio milites uti volo, tuo ductu tribunos; Gothi a Thraciis amovendi......." Omnes exercitus Thracicos, omnes Illyricianos ..... in tua potestate constituo." Probus a Gallieno exercitui Illyrico praefectus erat. cf. annot. 20.

[26]) Quod Aurelianus in epistola ad Probum scripta (Vop. Prob. 6) de copiis a Claudio acceptis dicit annotationem 25 conferenti eas legiones, tunc Probo creditas, aut in Illyrico aut in Thracia vel in utrisque his provinciis castra stativa habuisse liquet. Quum autem in illa epistola verba haec: „Isti enim (sc. decimani) sunt, qui quadam felicitatis praerogativa praesules, nisi futuros principes habere non norunt" maxime ad ipsum Aurelianum referenda sint, qui ad Sirmium, ubi Claudius mortem occubuit, imperator est proclamatus, sententiam nostram veri similem esse apparet. Porro in illis provinciis solis ad medium Danubium sitis Probum rem gesisse inde possumus deducere, quod ex Vop. Bon. c 15 Gallonium quendam Avitum Thraciae tunc praefuisse cognoscimus.

[27]) Conf. annott. 29 et 30.

[28]) Vop. Prob 8. „Neque enim unquam ille (sc. Probus) passus est peccare militem. Ille quin etiam Aurelianum saepe a gravi crudelitate deduxit."

Quamvis in codicibus „peccare" legatur, (Conf. script. hist. Aug. rec. H. Jordan et F. Eyssenhardt, Berolini 1864 et H. Peter, Lipsiae 1865) tamen cum Casaubono consenserimus. Magis enim respondet arti logicae legere „peccari."

Antecedunt enim haec: „Amor militum erga Probum ingens semper fuit." Quae quidem, qui „peccare" legunt, ita possunt se-

Probo, qui una cum Aureliano contra Zenobiam pugnasse videtur, [29]) Aegyptus recuperata ab imperatore custodienda est commissa. [30])

Seditio a Firmo in Aegypto commota etiam per Africam septentrionalem pervaserat. Ideo Probus contra Marmaricam, quae terra ab Aegypto ad occidentem versus usque ad Cyrenaicam patet, proficisci coactus hostes non sine difficultate subegit. [31]) Ac tanta erat Aegyptiae ejus seditionis vis, ut ad ipsam Carthaginem, pristinam aemulam, pervaderet. [32])

Hac expeditione facta id agebat Probus, ut quum magnis operibus Alexandriam [33]) exornavit, tum ut fertilitati restituendae atque augendae Aegypti inferioris [34])

quentibus verbis conjungere, ut sensus exhibeatur, apud exercitum propter ipsam severitatem Probum gratiosum fuisse militesque, ut qui disciplinae essent studiodissimi, eum, qui disciplinam severitate exerceret ac conservaret, amore ingenti amplexos esse. Jam vero sequitur: „Ille quin etiam Aurelianum saepe a gravi crudelitate deduxit.“ Quo quum augeri antecedentia apertum sit, sensus hic est: Probus nunquam passus est, quemquam alium gravius, hoc est injuste animadvertere in militem, quae injustitia voce peccandi indicatur, immo ipsum Aurelianum imperatorem saepe a gravi crudelitate deduxit. Neque quod attinet ad grammaticam aliam illud „quin etiam“ significationem exhibere potest, nisi hanc, ut indicet, gradationem sequi, id quod fit, si „peccari“ legis.

[29]) Rem inde concludere posse credimus, quod Zosimus I, 52 omnes turmas (*τάγματα*) ad meridianam Danubii ripam castra stativa habentes, quarum parti Probus praerat, ad Emisam contra Palmyrenos pugnantes enumerat.

[30]) Conf. annot. III.

[31]) Vop. Prob. 9.

[32]) Ibid. Quod ea occasione facta a Probo Aradionem quendam. Carthaginiensium fortasse ducem, certamine singulari occisum esse narrat Vopiscus occissique honori, ut qui fortissimus ac pertinacissimus fuisset, ingens sepulcrum milites exstruere Probum jussisse, idcirco, quin verum sit, non potest addubitari, quod addit Vopiscus, se vivo tumulum eum adhuc exstitisse.

[33]) Vopiscus si c. 9 dicit: „Exstant ejus opera, quae per milites struxit in plurimis civitatibus“ verum paulo egredi videtur; primum enim tempus certe non suffecisset tot operibus perficiendis, (ab anno 272 usque ad annum 276 aderat Probus) deinde ex aliis, quae eodem loco ipse Vopiscus affert, apparet, in Aegypto inferiore, maxime in Alexandria, ea exstitisse; nam quod simul scribit „ora fluminum eum patefecisse“ haud dubie de Delta est cogitandum.

[34]) Quod Vopiscus (Prob. 9) de fluminibus dicit, nihil aliud certe significare vult, nisi canales atque ora Nili Aegypti inferioris; „ora fluminum patefacere“ idem sane est, ac lutum ad ora Nili fluctibus relictum submovere.

provideret. Quibus operibus fortem in bello ducem eundem posse bene mereri de pacis cultu Probus docuit.

Majoris momenti in dies Probum imperio Romano fieri Tacitus senex, qui Aureliano successerat, eo videtur maxime probare voluisse, quod curam totius Orientis [35]) ei committens dixit, nunc Probi humeris magis incubuisse rempublicam.

Haud ita multo post Tacito mense Aprili [36]) anni 276 mortuo Florianus quidem frater imperio quasi jure hereditario potitus est, [37]) sed Probus jam aemulus felicior exstiterat.

[35]) Vop. Prob. 7. De Oriente, quae tunc fuerit ejus vocis vis conf. annot. 38.

[36]) Hoc de tempore plura sunt in annotatione IV.

[37]) Liquet ne specie quidem juris imperium assecutum esse Florianum, de quo in Vopisci Floriano c. 1 (ex edit. script. hist. Aug. virorum ill. H. Jordan et F. Eyssenhardt, quod caput decimum quartum vitae Taciti primum Floriani signat Herm. Peter.) haec sunt: „Arripuit (sc Florianus) imperium non senatus auctoritate, sed suo motu quasi hereditarium“, deinde in epistola Probi ad senatum scripta: (Vop. Prob. 11) „Nec velut hereditarum sibi vindicasset imperium“ (sc. Florianus). Probus, quum a militibus imperator proclamatus honorem repudiaturus esset, (Vop. Prob. 10) non id affert, imperatorem alium jam esse, cui, si e jure quodam creatus esset, Probum libenter imperium cessurum fuisse satis potest inde colligi, quod invitus tandem imperium accepit. (ibid.) Porro Aurel. Vict. de Caess. 37 de „vix retentata dominatione Floriani“ dicit. Denique Chron. Euseb. et qui eum secuti sunt, (inter alios Orosius) Tacitum imperatorem dicunt tricesimum, Probum tricesimum primum, quasi Florianus omnino imperatorum numero non adscribendus sit.

Cum his auctoribus pugnat illud, quod apud Zosimum I, 64 legimus: „*Ἐντεῦθεν* (sc. *μετὰ τὸν τοῦ Τακίτου θάνατον*) *εἰς ἐμφύλιον κατέστη τὰ πράγματα ταραχήν, τῶν μὲν κατὰ τὴν ἑῴαν βασιλέα Πρόβον ἑλομένων, τῶν δὲ κατὰ τὴν Ῥώμην Φλωριανόν· καὶ Πρόβος μὲν εἶχε Συρίαν καὶ Φοινίκην καὶ Παλαιστίνην καὶ τὴν Αἴγυπτον ἅπασαν, τὰ δὲ ἀπὸ Κιλικίας μέχρις Ἰταλίας Φλωριανός· ὑπήκουον δὲ αὐτῷ καὶ τὰ ὑπὲρ τὰς Ἄλπεις ἔθνη, Γαλάται καὶ Ἴβηρες ἅμα τῇ Βρεττανικῇ νήσῳ, καὶ προσέτι γε ἅπασα Λιβύη καὶ τὰ Μαυρούσια φῦλα.* Zosimus, quem Zonaras hoc loco (XII. 29) paene ad verbum transscripsit, hanc rem propter propinquitatem Taciti et Floriani verisimilem accepisse videtur, quod sententiis, quas hac de re attulerunt scriptores Romani, qui a rebus tunc gestis multo minus longe aberant, comparatis, non satis valet. Neque tamen desunt memoriae recentioris viri ill. qui illam parum probabilem Zosimi sententiam secuti sunt, ut Tillemont, hist. des emp. III. 1130, Schlosser, Universalhistorische Uebersicht der Geschichte der alten Welt und ihrer Cultur Frankfurt a. M. 1830 III. 100, Huschberg, Geschichte der

Probus imperator proclamatus est a legionibus Syriae, Phoeniciae Palaestinae et Aegypti. [38]) Jam dudum enim imperatores per exercitus creari solebant, etsi paulo ante in solo Tacito creando hoc more erat discessum.

Probus, quum quae sors multis superiorum imperatorum evenisset, animo volutaret, num honorem repudiaret, cunctatus [39]) imperium a militibus accepit. Deinde copias in Ciliciam obviam duxit Floriano, qui paulo post ab ipsius militibus minus contentis interfectus est. [40]) Quorsum id casurum esset, non erat dubium. Nam et

---

Allemaunen und Franken bis zur Gründung der fränkischen Monarchie durch König Chlodwig Sulzbach 1840 p. 144, de Wietersheim, Geschichte der Völkerwanderung Leipzig 1862 III. 18, Clinton, fasti Romanorum ad a. 276 p. 314, H. Atorf. de M. Aurelio Probo Romanorum imperatore, dissertatio historica, Monasterii 1866 p. 12.

[38]) Haec sententia ex locis apud Zosimum I, 64 et apud Zonaram XII. 29 deducta alia re verisimillima redditur.

Vopiscus Prob. 10 narrat quidem, omnes Orientis exercitus imperatorem Probum proclamasse ibique esse creatum manifestum est, quod eum a Tacito ducem Orientis factum esse Vopiscus dicit (Prob. c. 7.) Sed „Orientis" nomen iis regionibus, quae ab Asia minore in meridiem spectant, tribuebatur, quum, quae pars demum inde ab Orosii aetate (ex quinto saeculo) Asia minor dicta est, (Oros. I, 2.) tunc „Asia propria" nominari soleret. Praeterea Vopiscus et ipse diserte discernit Orientem eamque, in qua Pamphylia erat sita, partem, Prob. 17 sic dicens: „.... pacatis denique omnibus Pamphyliae partibus ad Orientem (sc. ad Aegyptum versus, ut quae sequuntur, docent) iter flexit."

[39]) Vop. Prob. 10. „Milites bene mihi non vultis"; his allocutus milites, quid timeret ac quae conditio sua esset, optime expressit.

[40]) Vopiscus Flor. 1 et magis Prob. 10 rem ita exponit, milites, simul Probum imperatorem a suis copiis factum audissent, Florianum nulla mora interfecisse. Jam vero, si ita fuisset, non intelligeremus, quomodo per duos vel tres menses Florianum imperatoris nomine usum esse fere omnes inter se consentire possent ne excepto quidem Vopisco. Rem sic fuisse censuerim. Florianus, quum Probum esse imperatorem proclamatum comperisset, haud procul, ut verisimile est, a Tyana erat, qua in urbe Tacitus frater mortem occubuerat. Salutem in armis positurus profectus est Tarsum, quae urbs fere in confinio earum regionum sita erat, in quibus alter aemulus potestatem imperatoriam sibi vindicaverat alter acceperat. Nonnullis ante urbem levibus proeliis contra milites Probi „παρὰ δύναμιν", ut Zosimus I. 64 refert, commissis a suis interfectus est Florianus. Neque interficiendi Floriani Probum non fuisse conscium et Zosimus I. 64. et Zonaras XII. 29. referunt, sed hic ut famam rem proponit. Illud autem Zosimi neque e moribus Probi est neque om-

mores, quibus Floriano longe praestabat [41]) Probus, et fama, quam usquequaque sibi collegerat et belli gloria virtusque probata et milites studio atque amore ducis flagrantes certam felicis eventus spem praebebant.

Summo omnium [42]) amore affectus ut legis formam [43]) expleret, verecundissime a senatu, ut se imperatorem comprobaret, Probus jam petiit. [44]). Qua quidem modestia, quo nomine, ut res tunc erant, haec ejus agendi ratio digna est, — minime enim erat timendum, ne precibus suis senatus non obsecuturus esset — hoc maxime egisse videtur, ut jam initio imperii sui indicaret, se majorem et legitimam potestatem, quam qua antea fuisset, senatui esse concessurum, qui eo magis meliusque rebus duntaxat internis prospicere posset. Haud enim ignorabat Probus, imperatoribus illius temporis magis curae esse debere, ut imperii fines late patentes tuerentur, quam ut ab ipsis solis res publica gu-

---

nino e prudentia, quia ut idem, quod accidit, eveniret, quae erat rerum conditio, perfidia non erat adhibenda. Milites enim a Probo adducerentur non erat necesse, sed sola Floriani invidia commoti, quum spem eventus non viderent, eum interfecerunt.

[41]) Conf. de moribus Floriani Vop. Flor. 1; Contra de Probi virtute ac laudibus dicitur multis locis, quos omnes enumerare supervacaneum esse videtur.

[42]) Imprimis unum quidem locum afferamus: Vop. Flor. 1. Tantus autem fuit Probus in re militari, ut illum senatus optaret, miles eligeret, ipse populus acclamationibus peteret.

[43]) Interest nosse epistolam ad Capitonem praefectum praetorio scriptam (Vop. Prob. 10) a Probo, simulatque a militibus imperator est factus. Praecipiendo ei quaedam ita se gessit, quasi potestatem imperatoriam jam plenam haberet, quamvis postea demum (Vop. Prob. 11) a senatu comprobationem peteret Jam, qui Probi erant mores, facile possis putare, comprobatione senatus jam recepta eam quidem epistolam ab eo scriptam, sed a Vopisco, ut nobis, qua animi affectione ante creationem Probus fuisset, plane exponeret, jam antea esse allatam. Quod si ita fuisset, certe in epistola senatus auctoritate se creatum esse dixisset, non, ut fecit, a militibus solis se factum. Pluribus hanc rem disseruimus, quod inde Probi erga senatum reverentia, quae fere ab omnibus historicis aetatis recentioris in summum tollitur, recte, quanti sit facienda, judicari posse putaverimus. Jure in gloria militari militumque amore ac proclamatione posito, quod imperatoribus nunquam erat denegatum, a senatu id oravit Probus ac dijudicandum ei commisit, quod certum re vera jam habebat.

[44]) Vop. Prob. 11 maxime in extrema epistola.

bernaretur. Quod quidem senatus esse censebat. Hoc propositum, simulatque senatus auctoritate imperator comprobatus est, edictis plane Probus declaravit.

Neque dubitandum censuerunt patres, mora non interjecta [45]) submisse rescribere, se creationem summo gaudio affectos ratam esse jubere. [46]) Qua humili dicendi ratione senatus jam dudum ac maxime ex eo tempore uti solebat, ex quo summa potestas erat penes imperatores, penes senatum vero paene nulla. Sed quod in Probum, qui vir ambitione non indignus erat, eandem consuetudinem secutus est, minori ei est dedecori neque omnino id erat tam singulorum quam temporum malum.

Summum imperium Probus, si recte eruere potuimus, [47]) inde a mense Aprili anni 276 usque ad mensem Augustum anni 282 tenebat.

Imperium Probi, quod attinet ad res internas, maxime respiciendum est, quod in rebus gestis senatus Romani, regnantibus imperatoribus, memoria imprimis digna exhibet.

Cruenta ac suspiciosa severitate crudelitateque tractari, negligentiam ac contemptionem perpeti, consuli, id quod raro evenit, de gubernanda re publica, hae fere, ut paucis complecter, vices senatus erant pro studiis ac moribus imperatorum. Quod eo facilius accidit, quod et a populo non creato deerat dignitas publica neque jus erat senatui cooptatione se complendi, sed solum imperatoris arbitrium eum et constituit et refecit. Quare mirum non est, quod sua sponte ac voluntate nihil fere agebat neque ulla penes eum erat potestas. Ut tamen interdum quasi reviviscerct et auctoritate quadam usus, id quod Maximino Thrace et Gallieno imperatoribus contigit, rebus publicis prospiceret eo factum est, quod memoria, quem locum olim obtinuisset atque quanta auctoritate usus fuisset, nondum exstincta aliquid pristinae dignitatis occasione facta ei subdidit. Neque om-

[45]) Conf. not. 58.

[46]) Vop. Prob. 11. Modestus imperator blanditiis exquisitis oneratur. Ita nomen Francici ei tribuitur, quamvis, antequam imperator esset creatus, eum quicquam contra Francos gessisse prorsus nesciamus.

[47]) Conf. annot. IV.

nino adeo jacebat, ut liberam quandam agendi rationem, qua nimis esset desuetus, non posset sustinere, quem admodum plurimi opinantur atque illud tempus describere solent. Regum sane concilium non jam erat senatus atque paulo ante ipsum Probi imperium ab Aureliano tam crudeliter tractatus erat, ut animis demissis jure imperatores creandi, quum post Aureliani mortem non solum liceret, sed quin etiam posceretur, diu uti non auderet. Ideo videmus, ut ita dicam, puerili senatores exsultare gaudio, [48]) quum Tacitus imperator nonnulla iis concessisset. [49]) Tanta erat vis insoliti atque inexspectati.

Probus ut prudens ac benevolus imperator patrum jura restituit atque amplificavit, ita ut majorem exspectatione potestatem retinerent. Satis enim erat expertus, suo tempore illud maxime esse imperatoris ab hostibus externis imperium defendere ac tutum reddere et tempus occasionemque eum deficere consulendi omnibus rebus internis.

Simulatque [50]) imperator est comprobatus permisit patribus, ut ex majorum judicum appellationibus ipsi cognoscerent, [51]) ut proconsules crearent, legatos

[48]) Vop Flor. 6.

[49]) Vop. Flor. 5,

[50]) Vop. Prob. 13.

[51]) Vop. Prob. 13. Ut, quem locum senatus obtineret, jure publico nunquam satis erat constitutum, sed ex solo cujusque imperatoris arbitrio pendebat, ita judiciaria quoque ejus potestas saepe erat deminuta vel aucta neque tamen unquam plus valuit, quam ut de crimine laesae majestatis, de repetundis ac nonnullis judicio suo reservatis criminibus decerneret. Hac de re apud Tacitum et Dionem Cassium multi sunt loci. Ex quo enim imperatores summam rerem tenebant, nunquam ad senatum provocabatur. Quod quidem aut praefectus urbi aut praefectus praetorio, quod munus tunc demum erat constitutum, varia potestate exercebat, quorum uter apud imperatorem plus valebat, is personam ejus gerens summam potestatem judiciariam tenere solebat.

Quum Tacitus concessisset, „appellationes omnes ad praefectum urbis redire“, (conferantur epistolae a Vopisco Flor. 5 et 6 traditae) Probus rem ita instituit, ut senatus esset summus magistratus, ad quem a judicibus provinciarum et a praefectis urbi et praetorio provocari posset. Ita enim interpretamur illud „ex magnorum judicum appellationibus.“

(pro)consulibus, jus praetorium praesidibus darent,[52]) denique ut leges, quas ipse ederet, senatus consultis propriis consecrarent.[53])

Quidquid unquam benevolus imperator concesserat, Probus in senatum contulerat, ita ut re vera potestas ejus esset permagna.

Quod ad rationem pertinet haec imperii Romani forma speciem novam et insolitam exhibet. Summa enim imperii quidem apud unum erat, sed quum patribus legum sanciendarum potestas tributa esset, popularis quaedam forma ei induta erat, praesertim quum senatus non solum summum judicium exerceret, sed etiam multum valeret ad regendam rempublicam, ita quidem, ut in duas partes imperium illo tempore videretur divisum,

[52]) Vop. Prob. 13. Proconsules creandi jus, quod in provinciis senatus ab optimis imperatoribus servatum erat, tunc videtur restitutum atque amplificatum esse. Jus legatos consulibus et jus praetorium praesidibus dandi constitutiones sunt, quibus etiam magis potestas illa gravis proconsules creandi aucta est. Quum proconsul povinciam administrandam ipse curaret, legatum secum habebat, qui rei militari praeesset, atque adjuvaret illum in singulis administrationis partibus. Quod Vopiscus de „legatos consulibus" dando dicit, certe errat, consu'es proconsulibus permutans. Hic enim scriptorem de legatis in provinciis, qui proconsulibus tantum provinciarum praefectis addi solebant, loqui patet. Evenit quidem nonnunquam, ut proconsul diceretur consul, quo significaretur, proconsulem antea quoque consulem fuisse neque, ut alias, solo imperatoris jussu factum esse. Haec appellatio singularis non potest ut communis adhiberi, quod contextus ac tenor verborum haud dubie hic est, senatui non solum jus concessum esse proconsules creandi, sed etiam legatos ab ipso creatos iis attribuendi. Illud enim Vopisci „jus praetorium" non putaverimus Casauboni ratione esse interpretandum: „Ut praesides provinciarum ex administratione sua reversi sederent in senatu inter praetorios"; id enim juris speciem tantum habuisset ac certe minoris momenti esset, quam pro sensu ac contextu verborum. — Creatis igitur ab ipso omnibus magistratibus, qui in administrandis provinciis pacatis summam tenerent potestatem, senatus non nihil etiam ad ipsam administrationem valebat, quum per viros creatos, quorum mores satis perspectos haberet, qua ratione provincias vellet administrari, docere posset.

[53]) Vop. Prob. 13. Vel optimis imperatoribus ad constituendas leges senatus non plus valuerat, quam ut imperatores eum consulerent; tunc vero ejus potestas eo major est reddita, quod Probus permiserat, ne ullae leges ratae fierent, nisi senatus jussu ac consulto essent sancitae. Illud unum senatum coërcuit, quod ei leges rogare, id quod nunc dicimus „Initiative ergreifen" non licuit.

quarum una esset penes imperatorem, qui rei militari ad imperium tuendum praeesset legesque rogaret, penes patres altera, penes quos esset, si e re publica leges fore duxissent, ratas esse jubere, sin minus vetare, deinde summum jus dicere, denique omnino rebus provinciarum curam impendere — videlicet res gravissimae ad gubernandas reipublicae res internas.

Ita res se habebat specie, aliter quidem re. Multo enim senatus auctoritas ac potestas, ut facile est intellectu, eo diminuta erat, quod non suffragiis nec jussu populi, sed solo imperatoris arbitrio constitutus erat. Quid mirum igitur, si etiam Probo tantopere submissum se praebuerit, ut, si quando in juribus ipsius sponte in eum collatis interpellasset, non impediret vel certe aequo animo ferret. Quum vero, qualem Probus postea in senatum se praestiterit, memoriae non proditum sit, his in medio relictis, ne de vestigiis memoriae, quatenus colligi possunt, longius decedamus, plura de ea re verba non faciamus.

Res ideo maxime tantopere nos ad se convertit, quod pro temporibus et rebus dominationis admodum inexspectata erat talis institutio. Ceterum tunc postremum jura locumque insolitum neque jam exspectatnm senatus obtinuit, nam haud ita multo post Diocletiano imperatore omni potestate ita est exutus, ut ad res publicas omnino nihil jam valeret.

Sed jam ad id, unde digressi sumus, redeamus.

Multum laboris atque difficultatis Probo instabat. Praeter totum Danubium — relicta enim ab Aureliano Dacia inferius flumen ipsum finis imperii factum erat — Germanorum gentes, quum e cladibus a Claudio et Aureliano acceptis celeriter se recepissent, nullo non tempore opportunitate facta ad irruptiones demo faciendas promptae erant. Neque unquam Gallia in periculo majore versata erat, quam quo tempore Germani Rhenum transgressi hanc provinciam pervagabantur et multis oppidis expugnatis domicilium sibi constituebant.[54]) Orientis quidem imperium hoc temporis momento minus

[54]) Vop. Tac. 3 ex oratione consulis Velii Cornificii Gordiani, incursiones jam antequam Tacitus imperator esset creatus factas esse, cognoscitur.

erat in periculo neque tamen prorsus in tuto, Syria ac maxime Aegyptus, cujus provinciae caput semper erat inquietum, novis rebus ac seditionibus studebant, in septentrionali Asiae minoris parte Gothi pontum Euxinum transgressi nondum omnes [55]) erant propulsati et in montibus ad meridiem Asiae minoris spectantibus gentes nondum subactae imperio Romano adhuc resistebant. [56])

Ita quum, qui esset imperii Romani status, ubi Probus summam iniit potestatem, breviter perstrinxerimus, facile intelligetur, qui fines imperatori obtinendi fuerint.

Probus antequam in Galliam et Germaniam, [57]) provincias maxime rebus adversis afflictas profectus est, litteris, quibus a senatu comprobatus est imperator, acceptis [58]) supplicium sumpsit de Aureliani Tacitique par-

[55]) Quum enim Zosimus I, 64 de Floriano dicat „τὴν κατὰ τῶν ἐν τῷ Βοσπόρῳ Σκυθῶν νίκην ἡμιτελῆ καταλελοιπώς,“ . . . . . apparet, Gothos ad Pontum Euxinum nondum satis oppressos fuisse.

[56]) Hoc e Vop. Prob. 16 deprompsimus, quo loco de pugnis ab imperatore in Isauria commissis agitur.

[57]) In omnibus fere libris et de antiquitate universa scriptis neque non in eorum nonnullis, in quibus imperatores Romani maxime describuntur, de bellis nusquam nisi in Gallia a Probo gestis sermo fit, inter quos in fastis Romanis viri ill. Clinton, quamvis in Vop. Prob. c. 13 „reliquias ultra Nicrum fluvium et Albim removit“ legat, tantum „Campaign in Gaul“ invenitur. (A. 277 p. 316.) Quum enim, qua et Gallia et Germania pateret, antiqui rerum scriptores dissentirent, (cf. Pauly, Real-Encyklopädie s. vv. „Galli et Germani“) investigatoribus ill. temporis recentioris imprimis agri decumates, Galliae et Germaniae Magnae interjacentes, num provinciae Galliae aut Germaniae Romanae fuissent, sciscitatu difficillimum erat, unde magnae exortae sunt controversiae. (cf. Pauly R.=E. s. v. Germa i p. 831—834.) Iam vero postquam v. i. Staelin, (Wirtembergische Geschichte 1841 tom. I pag. 86. sq.) agros decumates Germaniae superioris fuisse satis probavit, de bellis a Probo et in Gallia et in Germania gestis abhinc recte dicitur. Ceterum Vopiscus quoque utramque provinciam aperte discernit, quum Prob. c. 13 imperatorem in Galliam proficisci narret et paulo post (c. 14) his verbis: „nisi si limes Romanus extenderetur et fieret Germania tota provincia“ inter Germaniam Romanam et Germaniam Magnam discernens, Probum in Germania (Romana) rem gessisse edoceat.

[58]) Dies, qui in hac epistola (Vop. Prob. 11) adscripta est, (die tertio nonas Februarias ibid.) multum difficultatis attulit. Quum de mense Februario sequentis tantum anni 277 cogitari possit, inde sequatur, satis sero Probum a senatu esse comprobatum. Quod quidem nulla ratione videtur consentaneum, quum non intelligatur, quae fuerit causa, cur senatus tamdiu cunctaretur, praesertim cui

ricidis adhuc impunitis. Floriani deinde copias quum suis conjunxisset, [60]) Saturnino praefecto Orientis relicto, [61]) magno cum exercitu longum in Galliam et Germaniam iter ingressus est, quas provincias Probus vere demum anni 277 [62]) competiit.

Magna via militari per Byzantium, Sardicam, Naissum, Sirmium, Mursam profectus, iter, quod Aquileiam, Veronam, Mediolanum, Vercellas attingens fert in Galliam, [63]) fecit, ut in orientalem ejus terrae partem veniret, quae maxime ab hostibus premebatur. Hic armis erat concertandum cum Alamannis et Francis, quarum gentium utraque ex diversis in unius populi corpus validum inde ab initio vel medio tertii saeculi coaluerat. Imprimis Alamanni, gens bellicosa, jam ex quo consociati erant, imperio Romano in Germania imminebant, quod incursiones ex ipsorum finibus, qui Rheno ac Danubio superiori interjacebant, a limite septentrionali in agros decumates arte quidem munitos neque tamen facile defendendos facere studebant. Quos super limitem transrhenanum repellendi necessitas inde ab Alexandro Severo ite-

timendum esset, ne concordia, quae sibi cum Probo esset, divelleretur ideoque est veri simile haud ita multo postquam prima ad senatum epistola (c. 11) a Probo perscripta esset, a senatu eum comprobatum esse, mense Julio vel Augusto.

[59]) Vop. Prob. 13.

[60]) ibid.

[61]) Huic rei probabilitas conciliatur eo, quod in Chron. Euseb. de seditione a Saturnino concitata legimus: „Saturninus magister equitum, novam civitatem Antiochiae orsus est condere“, quod ut efficere posset, necesse erat rebus in Oriente gerendis diutius praeesset. Vop. Saturn. c. 7 tradit, Aurelianum Saturnino ducatum limitis Orientalis dedisse. Quem locum obtinendum Probus, qua postea in Saturninum in seditione versantem usus est benignitate, (Vop. Saturn. 11) haud dubie ei commisit, id quod indicaturus Vopiscus videtur hoc loco: „Saturninus . . . . . de Alexandria civitate mox fugit atque ad Palaestinam rediit“ (Saturn. 9). Denique Zosimus idem apertis verbis dicit I, 66: „τὴν Συρίας ἀρχὴν ἐπιτετραμμένος.“

Zosimus (I, 66) atque auctorem eum secutus Zonaras (XII, 29) dicunt, seditionem a Saturnino jam ante proelia cum Germanis commissa, simulatque in parricidas animadversum esset, factam esse, quum omnes alii auctores, imprimis Hieronymus (cf. ejus Chron.) posterius eam ortam esse affirmant.

[62]) Conf. annot. V.

[63]) Conf. Tab. Peut. et Itin. Anton.

rum atque iterum obveniebat imperatoribus Romanis hos quidem fines Germaniae Romanae integros conservaturis.

Alamanni, quum Aureliano mortuo expeditiones in Romanorum fines iterum suscepissent, a Probo ejecti sunt eventu prospero quidem neque tamen diuturno. Brevi enim interjecto tempore post Probi mortem Alamanni ut primi gentium Germanarum in Romanorum finibus domicilia sibi expugnarunt neque omnino ab eo tempore limes transrhenanus finis imperii Romani esse dici poterat, sed ipse Rhenus.[64])

Jam duo annos et dimidium tertium[65]) Alamanni tanquam nihil a Romanis timentes urbes multas ceperant,[66]) quum Probus magno cum exercitu advenit.

Alter, qui Galliam urgebat, hostis erant Franci,[67]) qui jam antea fortasse unius civitatis vinculo se conjunxerant, quamvis nomen eorum medio demum tertio saeculo in fontibus inveniatur. Quo quidem tempore quum usque Moguntiacum prope ad Alamannos se effudissent,[68]) Rhenum transgressi devastabant Galliam longius[69]) etiam, quam Alamanni, eoque maius ab iis, imprimis a Saliis, qui dicuntur, periculum imminebat, quum maritimisquoque expeditionibus Galliae oras vexarent magnumque accolis injicerent terrorem.[70])

---

[64]) In oratione a Mamertino in laudem Maximiani a. 289 habita c. 7.

[65]) Vop. Prob. 12 „His gestis cum ingenti exercitu Gallias petit; quae omnes, occiso Postumio, turbatae fuerant; interfecto Aureliano (sc. m Februario a 275) a Germanis possessae“ et Vop. Tac. 3., quum Tacitus imperator crearetur (sc. m. Septembri a. 275) consul sic dixit: „Nam limitem trans Rhenum Germani rupisse dicuntur, occupasse urbes validas nobiles divites et potentes.“ Quae quum ita essent, Alamanni Probo adventante m. Julio a 277 jam amplius duos annos Galliam vastabant.

[66]) Vop. Tac. 3 et Prob 13.

[67]) Zos. I 68; Vop. Prob. 13 „Tu Franci cus.“

[68]) Vop. Aurel. 7. Idem (sc. Aurelianus) apud Moguntiacum tribunus legionis sextae Gallicanae (c. a. 249) Francos irruentes, quum vagarentur per totam Galliam, sic afflixit etc.

[69]) Haec res concludi potest ex Aurel. Vict. de Caess. 33: „Gallienus cum Salonino, Francorum gentes, direpta Gallia, Hispaniam possiderent, vastato et paene direpto Tarraconensium oppido nactisque in tempore navigiis pars in usque Africam permearet“...

[70]) Eutropius IX, 21 narrat: „Maximianus (a. f. 286) quum apud Bononiam per tractum Belgicae et Armoricae pacandum mare

Cum his praecipue duobus populis tunc res agenda erat neque tamen, si qui alii ab iis antea longius remoti participes belli facti sunt, mirum potest videri, quum majore concursu inde a medio tertio saeculo prope Rhenum exorto gentium Germanarum facile potuit accidere, ut aliorum quoque Germanorum motus fierent et quaedam sedum commutatio sequeretur.

Atque ut Romanorum fines quoque Germani occidentales aggrederentur eo incitati erant, quod promotis longius finibus accomodatius vivere studebant et freti ipsorum magnis viribus imperii Romani infirmitatem penitus perspectam habebant. Alacritate eorum, qui, ut ita dicam, extremam stationem in terras Romanas tenebant adducti, qui quidem ceterorum populorum erant belicosissimi maximeque ad bellum parati, ad expeditiones in Romanorum fines una cum iis faciendas undique adventabant atque cum iis imprimis, ut consentaneum erat, qui ut Franci et Alamanni in unam civitatem coaluerant, se conjungebant. Quare videmus, non solum fieri potuisse, sed e natura factum esse, ut, qui remotiores ad id tempus sedes habuerant, cum Probo ad Nicrum fluvium armis concertarent.[71])

---

accepisset, quod Franci et Saxones infestabant“ . . . Ut hoc fieri posset satis diuturno usu opus erat, quippe quum haud facile rei scientia maritimae acquiratur.

[71]) His de proeliis a Probo in Gallia et Germania commissis, quae ad dijudicandum, quales tunc Germanorum fuerint motus, valde pertinent, scriptores recentiores ill. mirum est, quantum inter se dissentiant. Quorum alii, inter quos Gibbon, Luden, Schlosser, Staelin, Huschberg unum fere solum auctorem sequuntur, (aut Vopiscum aut Zosimum) Tillemont res e fontibus depromptas e consuetudine sua tantum enumerat, Zenss sententiam non satis stabilem exhibet, de Wietersheim denique videtur, dum subtile perscrutatur, a simplicitate naturaque discedere.

Primum non tam incertum hoc loco Zosimum habemus auctorem, quam sententiam de Wietersheim, Gesch. der Völkerw. III. 460 annot. 20 adjuvat, qualem Zeuss, Die Deutschen und die Nachbarstämme, München 1837 quum aliis locis tum p. 447 eum esse confirmat neque, quam attulit, sententia, Zosimum omnia ea proelia levi, ut assoleat, animo proeliis ad Danubium commissis confudisse satis probabilis videatur, quamvis nonnulla Zosimus perversa tradat. Certe enim ex genere describendi cognoscitur, Zosimum in hac historiae parte enarranda fontibus satis certis usum esse ac certe amplioribus quam Vopiscum, qui hoc loco nihil aliud egisse videtur, quam ut laudibus victoriam efferat. Pro ipsis, quibus Zeuss fuisse Zosimum

Probus simulatque in Galliam pervenit explicatis copiis primum [72]) ex ea, quae inter orientem et meridiem spectat, Galliae parte, multis commissis proeliis omnibusque [73]) deinceps, quas hostes occupatas tenuerant, urbibus obsidione solutis, trans Rhenum repellit Germanos.

---

putat, angustiis nomina excogitare certe non potuit et cum sententia, locum tempusque cum permutasse, hoc pugnare videtur, quod singulas res accurate ac diligenter tradit, praesertim quum illius loci ignorantia non tanta fuerit, quantam fuisse Zeuss dicit. Inter alia enim Alamannos Zosimus novit, Celtas, quae gentes in Raetia accolerent, Rhenum etc.

Neque illud „πόλεις ἐν Γερμανίᾳ, (I, 67) quod Wietersheim ei opprobrio vertit, (III. 460) satis aperte ac dilucide docet geographiae Zosimum rudem fuisse, quum de ea maxime, quae ad sinistram Rheni ripam sita erat, Germaniae parte cogitare potuerit, quamvis multo longius hostes pervagatos esse consentiendum sit.— Itaque consentaneum nobis visum est, quae Zosimus et quae Vopiscus tradiderunt, (omnes alii scriptores brevibus tantum referunt de bellis prospere in Gallia gestis) ita conjungere, ut factum esse pro rebus veri simile est. Hanc rationem in narrandis his rebus gestis sequi conati sumus.

[72]) Haud sane alio bellandi genere ad hostes finibus expellendos uti poterat. Priusquam enim partem ad medium et inferiorem Rhenum mitteret, (Zos. I 68) necesse erat regiones ad superiorem Rhenum sitas ab hostibus tutas redderet. Vop. Prob. 13 rem ita exponit, quasi venandi ratione hostes insectatus tot millia hominum (400,000 c. 13 et 15) cecidisset. Zosimus ita vagatum esse imperatorem non commemorans „περὶ τὸν Ῥῆνον" ab eo bellatum esse dicit. (I, 69) Magnus occisorum numerus, quem in majus extollit Vopiscus, eo potest explicari, quod multi eorum, qui Galliae partem magis ad occidentem spectantem pervagabantur, postea quum Rhenum transgressi per agros decumates ad gentem suam pervenire conarentur, interfecti sint, vel eo, quod in proeliis in agris decumatibus commissis hostium magna multitudo, ut Vopiscus Probi c 14 indicat, „nec cessatum est unquam pugnari — sc. in terris transrhenanis —. quum quotidie ad eum barbarorum capita deferrentur," etc. caesa sit. Certe quidem Vopiscus verum excessisse videtur, quum c. 15. 400,000 hostium per totum bellum interfectos esse dicat neque non antea c. 13 in sola Gallia totidem occisos esse referat.

[73]) Vop Prob. 13. „Tanta autem illic proelia gessit, ut a barbaris sexaginta per Gallias nobilissimas reciperet civitates" et ibid. 15. „septuaginta urbes nobilissimas captivitate hostium vindicatae". Quum Vopiscus alio loco alium afferat urbium numerum a suspicione non remota res videtur ac proinde satis multas omnino urbes a Probo recuperatas esse cogitamus. Silentio non praetereamus, quod de Wietersheim tom. III p 22 (annot.) putat, illo loco Vopiscum sexaginta tantum Gallicas urbes, hoc vero loco, quid imperator toto bello perfecisset, narraturum recte septuaginta urbes

Majore ita hostium parte ex iis, quae ab ipsorum finibus maxime aberant, regionibus remota, reliqui, qui etiam tunc Galliam pervagabantur, interclusi internecionem vix fugere potuerunt. [74])

Bipartito deinde exercitu, quum ceteris ducibus alteram partem, qui cum Francis pugnarent, ad Rhenum inferiorem ducendam commisisset, [75]) ipse Probus Rhenum transgressus [75]) inter limitem bellum continuavit. [76])

---

commemorasse, quarum decem in agris decumatibus sitae essent. Quae sententia quidem non prorsus refutanda est, sed quum apertum sit, alias quoque — cogita de illis 400,000 — veritatem Vopiscum excessisse, facile in opinionem adducimur, hunc certum urbium numerum non nimis diligenter tenendum esse. Illud Juliani imperatoris in opere suo „Καίσαρες" „Πρόβος ἑβδομήκοντα πόλεις ἀναστήσας" minime ad conditas urbes referendum est, sed Julianus Vopisci certe auctoritate nisus dicturus est, Probum septuaginta urbes recuperasse itaque quasi reddendo Romanis condidisse. Schlosser (Universalh. Uebers. der Gesch. der alt. Welt tom. III. segm. 5. p. 102) illum locum Juliani ad verbum interpretatus in sententiam ducitur satis miram, Probum, dum imperium teneret, septuaginta duas urbes condidisse.

[74]) Conf. illud Vopisci „quum quotidie ad eum barbarornm capita deferrentur" in annot. 80.

[75]) Secundum Zosimum duobus locis bellum gestum esse apertum est. I, 67 enim sic legitur: „δύο πολέμους ἀγωνισάμενος καὶ τῷ μὲν αὐτὸς παραγεγονώς, τῷ δὲ ἑτέρῳ στρατηγὸν προστησάμενος." Neque est dubium, quin imperator in regionibus ad meridiem versus sitis rem gesserit. Initio enim I c. 68 haec legimus: „καὶ δευτέρα γέγονεν αὐτῷ μάχη πρὸς Φράγκους, οὓς διὰ τῶν στρατηγῶν κατὰ κράτος νενικηκὼς αὐτὸς Βουργούνδοις καὶ Βανδίλοις ἐμάχετο." Iam vero Burgundiones et Vandali tunc — id quod notis 80 et 81 probandum nobis proposuimus — prope limitem vel ultra vel citra erant. Accedit, quod Vopiscus Probum barbaros „ultra Nicrum fluvium et Albam" removisse dicit, unde sequitur, inter Rhenum et Danubium superiores eum bellasse. Denique omnino delegisse imperatorem eam potissimum sibi partem liberandam consentaneum est, unde majus immineret periculum. Porro e Zosimo sequi videtur, Probum apud exercitum superiorem permansisse, quum, Francis ducum virtute devictis, ipse adesset imperator rebus ibi gerendis non oporteret.

Iam multum difficultatis affert illud Zosimi I, 69: „Τούτων οὕτω περὶ τὸν Ῥῆνον αὐτῷ διαπολεμηθέντων," quod ita dictum videtur, quasi omnia ad Rhenum commissa essent proelia. Hanc sententiam exhibent Tillemont, hist. des emp. III. p. 1135 Husehberg, Gesch. der Allemannen und Franken p. 146—151, Papencordt, Geschichte der Vandalischen Herrschaft in Afrika p. 8, de Wietersheim, Gesch. der Völkerwanderung III,cp. 20; alii historici, ut Gibbon silentio praetermittunt locum proeliorum cum Burgundionibus et Vandalis gestorum, Zeuss denique, quod hoc loco Zosimum incertum esse credit, haec proelia ad Danubium inferiorem facta esse

Priusquam manus ad Nicrum [75]) conseruit, cum Ligiis [76])

---

dicit. (p. 443 et 465). Conf. quae diximus de Zosimo annot. 71. de Wietersheim, haec proelia, quae pluribus descripsit, ita exponit, ut Probus quatuor locis rem gessisset. Alamannis primum remotis imperatorem ad exercitum contra Francos pugnantem se contulisse, deinde Burgundiones et Vandalos, quum a Francis et Alamannis cladibus jam affectis, ut sibi auxilio venirent, rogati, ad Rhenum progressi essent, ut flumen trajicerent, percitos eum vicisse, denique adversus Logiones debelasse ad Danubium superiorem.

Sed veri simile esse putaverim, Zosimum illis verbis: (I, 69) „Τούτων περὶ τὸν Ῥῆνον αὐτῷ διαπολεμηθέντων" nomen fluminis, quod unum maxime omnium sibi notum esset, imprimis attulisse. Praeterea ipsius Zosimi verba cum concentu comparantes, non difficile, quid explicare voluerit, dignoscere possumus. De imperatore enim ad Rhenum versus (sc. e Gallia) progrediente quum verba fecisset (I 67. ὡς ἐπὶ τὸν Ῥῆνον ἤλαυνεν.) eodem capite extremo haec addit: „κατώρθωσε δὲ καὶ ἄλλους πολέμους ..... ἠγωνίσατο πρότερον μὲν πρὸς Λογίωνας, ἔθνος Γερμανικόν" .... quasi his verbis „ἄλλους πολέμους" et „ἔθνος Γερμανικόν" indicaturus, aliis quoque locis (sc. trans Rhenum) Probum rem gessisse. Denique quum fluminis, cujus utramque ripam ambo exercitus (sc. Romanorum et Burgundionum Vandalorumque Zos. I, 68) occupassent, nomen non afferat, necesse non esse putaverim, illum fluvium intelligi Rhenum.

Iam Mascou, ille antiquus historicus, sensit, non opus esse, hoc loco de Rheno cogitari, dicens: (Gesch. der Deutschen, Leipzig 1726 p. 193) „Probi Armee war nicht stark, aber die Hitze der Deutschen Macht war der Römer Glück. Sie waren so begierig zu fechten, dass sie über einen Fluss, der zwischen ihnen und den Römern lag, setzten" etc. Huic rei hanc notam aspergit ead. pag.: „In der Historie wird dieser Fluss nicht genannt. Tillemont (cf. tom III p. 1135) will ihn zwar für den Rhein halten, es lässt sich aber jeder andere Strohm darunter verstehen".

De quovis certe fluvio non cogitandum est ac ne iis quidem consentimus, qui aut de Rheno aut de Danubio cogitant, sed putamus ad Nicrum illum locum referri, ad quem flu ium proelia cum Burgundionibus et Vandalis commissa sint. Ceterum hoc Vopisci Prob. 13 „ultra Nicrum removit" legentes vix possumus, quin de proeliis ad ipsum Nicrum commissis cogitemus. Praeterea multo est veri similius, Alamannicis incursionibus in Galliam factis Burgundiones et Vandalos limitem transgressos, quem fluvium primum invenissent, ad eum Romanis resistere conatos esse. Quod si vero Francis Alamannisque jam cladibus affectis auxilio venissent, ut de Wietersheim putat, unde credis captivos praedamque eos habuisse, quos reddere victi jussi sunt? Zos I, 68. Denique sententia nostra, ad Nicri fluminis ripas illud proelium commissum fuisse eo comprobari videtur, quod Zosimus I 68 Probum dicit in Burgundiones et Vandalos pugnantem exercitum numero jam deminutum vidisse. (Πλήθεσι δὲ τὴν οἰκείαν δύναμιν ἐλαττουμένην ὁρῶν.) Ad Rhenum enim toties non pugnatum erat, quoties ad Nicrum.

[76]) Zos. I, 67.... ἠγωνίσατο πρότερον μὲν πρὸς Λογίωνας .... Zosimi „Logiones" a plurimis, qui quidem his de proeliis disserunt,

ei certandum erat. Quos quum devicisset ac Semnonem

---

historicis aevi recentioris pro Ligiis habentur, cujus gentis praeter expectationem his locis mentio fit. Zeuss Ligios, (p 443 s. v. Ligii) quae est ejus de proeliis a Zosimo narratis sententia, ad Danubium inferiorem in Dacia, Romana quondam provincia, contra Probum pugnantes facit eamque rem probaturus illud „Lugiones" in tab. Peut. ad Daciam septentrionalem pro „Lugiones" negligenter scriptum esse dicit. Quae ejus sententia non prorsus refutanda videtur, quum facile potuerit accidere, ut una e multis, quae in Ligiorum populum coaluerant, (Tac. Germ. 43) gentibus eo loco consideret ac nomen omnibus commune proprium sibi vindicaret. Neque minus fieri potuit, ut alia ejusdem populi pars, primis relictis sedibus, ad occasum versus sitas peteret, quae res eo indicari videtur, quod Ligii jam prius una cum Hermunduris, quorum sedes magis ad occidentem versus spectabant, regnum Vannii et ipsum a parte occidentali affine deleverant (cf. Zeuss. s v. Ligii p. 126). Praeter ea, quae supra de motibus gentium Germanarum inde ab initio tertii saeculi exortis et de fide Zosimi in narrandis his bellis diximus, insuper nummo Romano Probi in opinionem adducimur, a Zosimo certas res gestas narratas esse. Ille nummus in doct. num. Eck. pag. 503 t. VII sic describitur: „VIRTUS. PROBI AUG.

Protome Probi. Adlocutio Aug. Imperator in suggestu, adstant a dexteris tres milites cum equo et signo militari captivum nudum et barbatum manibus revinctis ad suggestum sistentes; a sinistris duo milites alii cum equo et signis militaribus captivum nudum et imberbem eodem producentes, superne milites alii quinque." Judice et ipso Bandurio hoc in nummo Semno, Logionum rex filiusque exhibentur Alter qui exstat nummus (conf. Eck. doctr. num. VII. p. 505 seq.) ad hos captivos referri posse mihi videtur. Imperat. PROBUS. AUG. Probi capita jugata et laureatum et Herculis. VICTORIA AUG. Victoria stans inter duos captivos humi sedentes.

Zosimi fides his nummis sine dubio augetur. Nam putaverim, qui res gestas recte describat, eundem recte afferre posse nomina quoque et loca.

Ceteri historici aevi recentioris, qui Logionum vel Ligiorum mentionem faciunt, a sententia, quam Zeuss exhibet, dissentiunt excepto viro ill. Luden, qui (Gesch. des deutschen Volkes II. 125) Logionum nomen ut temere excogitatum falsum esse dicit notaque ei sententiae aspersa (not. 26 p. 501 et 502) interrogat, quomodo fieri potuerit, ut e Polonia ac Silesia ad Rhenum populi pervenirent, quae res cogitantibus nobis de migrationibus Burgundionum Vandalorum Gothorum aliorumque populorum ad occidentem versus haud mira videtur.

Huschberg, Gesch. der Alemannen und Franken p. 151 minime negandum esse putat, tunc Ligios prope Rhenum fuisse, similitudinem Loganae (Lahn) fluminis cum ipsorum nomine Logionum pagique adjacentis „Loginahe (Logenahe – Logonohe) Lahngau", cujus in aetate media saepius fit mentio, ostendens.

His allatis equidem senserim, illam Ligiorum partem e sedibus tunc inter Francos et Alamannos prope Loganam collocatis inter

regem una cum filio cepisset, [77]) utrumque, captivis praedaque receptis, in libertatem hac conditione [78]) vindicasse videtur, ne in posterum appropinquarent ad fines Romanos. Neque enim unquam ab eo tempore de nomine Ligiorum quicquam memoriae traditum est.

Quam rem quum ultra Rhenum primam prospere gessisset, magis explicatis copiis Probus versus limitem videtur longius processisse. Eo vero ut pergeret Nicrum flumen [79]) transgressurus novos hostes Burgundiones [80]) et Vandalos [81]) sibi obviam factos vidit. Demotus horum populorum limitem transgressam et Rhenum transire non ausam ad meridiem versus prorupisse, ita ut fortasse locis Rheno et Nicro interjectis cum imperatore adventante confligerent.

[77]) Conf. Zos. I, 67 quaeque de nummis annot. 76 diximus.

[78]) Zos. I, 67 dicit: . . . . ἐπὶ ῥηταῖς ὁμολογίαις ἠφίει . . .

[79]) Conf. quae supra (annot. 75) jam de loco, ubi Probus rem gesserit, commemoravimus.

[80]) Burgundiones Alamannorum finibus appropinquasse fontium auctoritate certe constat. E sedibus primis inter Viadrum et Vistulam collocatis (secundum Ptolemaeum et Plinium) ad meridiem versus profecti a Fastida rege Gepidarum, qui tunc ut Wisigothorum a parte occidentali proqinqui (Auctore Zeuss s. v. Gepidae p. 437) circa Carpos habitabant, fere ad internecionem, auctore quidem Jordane, (de Goth. orig. et reb. gest. c. 17) redacti sunt. Viribus vero valde attenuatis cum viro ill. Zeuss. p. 465 Burgundiones una cum Vandalis ad inferiorem Danubium cum Probo dimicasse minime consenserim, quod difficile est intellectu, quomodo per fines Gepidarum hostium attriti Burgundiones permeare potuerint. Deinde, ut praetermittam viri ill. Zeuss sententiam fontium auctoritate non enisi, multo magis naturae rerum erat consentaneum, Burgundiones, quum prope deleti essent, ab hostibus Gepidis sejunctos, quo irruptionibus ab Alamannis Francisque in Galliam factis allicerentur, eo maxime iter instituisse. Ea ratione Burgundiones ad Alamannos tam prope accessisse, ut fines cum iis communes haberent, per auctores confirmatur a tempore imperatoris Probi non multo distantes. Huic sententiae, quae inter omnes constat, Zeuss et ipse consensit, (s. v. Burg. p. 465) quamvis Burgundiones haud multo antea ad Danubium inferiorem cum Probo pugnantes fecerit. Rem sic exponimus, Burgundiones quoque una cum parte quadam Vandalorum, quum Alamanni Romanorum fines post mortuum Aurelianum longe progressi diu vastarent, intra limitem subsecutos ac jam prope ad Nicrum flumen profectos, quum imminente ipsorum finibus periculo Probo resistere auderent, dolo ejus deceptos ingentem cladem retulisse. Abhinc jam sedes Burgundiones habebant affines Alamannis, qui iterum atque iterum irruptionibus factis agros decumates haud multo post mortem Probi intermisso tempore in posterum occuparunt. Quo facto limes ipse lapis terminalis erat, qui Alamannorum et Burgundionum confinia distinguebat.

[81]) Vandali, quae gens omnium maxime erat vaga, ubi singulis temporibus sedes habuerint, difficillimum est investigatu. Quae ad rem pertineant Zeuss attulit s. v. Vandali pag. 443 sq.

minuto jam militum suorum numero imperator hostes, qui alteram fluminis ripam occupaverant, ad proelium provocari jussit; itaque quum singulae turbae ira incensae flumen transgressae essent, facile pars eorum caesi

Zosimus I, 68 eos una cum Burgundionibus circa Rhenum cum Probo pugnantes facit, quum Vopiscus Prob. 18, quae postea imperator gesserit, enarrans dicat, eum plerosque ex aliis gentibus id est ex Gepidis Greutungis Vandalis in Thraciam transtulisse. Partem quidem Vandalorum quum Romani Daciam reliquissent, ad Danubium permeasse satis constat ex hoc, quod a Dexippo relatum Jordanes memoriae tradidit: „eos (sc. Vandalos) ab Oceano ad nostrum limitem venisse“ Jord. c 22 atque inde, quod Jordanes eorum fines Constantino Magno imperatore Marisiam (Marosch) et Grisiam (Körös) perfluere dicit. (ibid) apparet, Vandalos in iis, quae ad orientalem Tisci (Theiss) fluminis ripam sitae sunt, regionibus sedes tunc habuisse. Aoricus, Gothorum rex, ut Jordanes pergit, proelio cum Vandalis ad Marisiam congressus regem eorum Wisumarum ac magnam populi partem interfecit. „Perpauci“, qui Vandalorum caedem effugerant, Pannoniam sibi a Constantino petierunt. Pressis hactenus memoriae hujus populi vestigiis quaerendum sit, cur perpauci illi, qui Vandalorum reliqui fuerint, Pannoniam potissimum i. e. occidentem petierint, quamvis magnis duobus fluviis Tisco et Danubio iter impediretur neque maluerint, id quod facilius prope erat factu, ad septentrionem versus proficisci, dein, quomodo perpauci illi Vandali, de quibus Jordanes dicit, aevis duobus inde a Constantino intermissis, tam validi potuerint existere, ut, postquam socii duarum in Italiam incursionum iniquo Marte susceptarum fuerunt, per duas civitates late patentes progressi in Africa novam condere possent civitatem. Itaque hoc nobis veri similius, quam quod dicere non audeamus, videtur, Vandalorum alteram partem, quae rebus ad Rhenum inde a medio tertii saeculi gestis, ut ad occidentem versus proficisceretur, permota, se a stirpe sejunxisse, postquam una cum Burgundionibus contra Probum auctore Zosimo circa Rhenum dimicavit, clade relata gravi, ex ea regione decessisse et retro ad orientem versus trans Danubium profectam in Pannonia, vel quod ibi maxime placuisse vel rebus non satis perspiciendis, quominus Vandalis ultra Tiscum habitantibus sese conjungerent, prohibitam, consedisse. Quamobrem alteram populi partem, quam Tisco tunc accoluisse scimus, postea Pannoniam potissimum petiisse ibique conjunctum populum quiete „sexaginta annorum“, ut Jordanes c. 22. dicit, ad ingentes initio quinti saeculi expeditiones suscipiendas satis firmatum esse.

Inter scriptores, qui pluribus his de proeliis disserunt, ipse Papencordt, qui illustrissime de Vandalis scripsit, licet auctore Zosimo tantum referens, cum Probo Vandalos „ad Rhenum“ congressos esse, assentit. (P. Gesch. der Vandalischen Herrschaft in Afrika p. 8.)

pars capti sunt. [82]) Deinde quum reliqui captivos praedamque reddere jussi non omnia restituissent, Probus jam attenuatos denuo aggressus, Igillo quodam e ducibus capto, [82]) quotquot Burgundionum et Vandalorum comprehendere potuisset, in Brittaniam misisse dicitur. [83])

Deinde, his populis devictis, ad orientem versus ultra Nicrum flumen et Albam montem [84]) hostes reli-

---

Schlosser (Univers. Uebers. der Gesch. der alten Welt tom. III. segm. V. p. 102) imperatorem Probum Burgundiones et Vandalos, quum in Galliam invaserint, in ipsorum finibus dissipatos aggredientem, fontibus non satis accurate usus, facit, ducesque, de quibus Vopiscus (Prob. 15) dicit, et ipsos horum putat fuisse populorum.

[82]) Zos. I, 68.

[83]) Quae hac de re dici possunt, omnia Cambdenius (Britannia, Fancofurti a. 1616 p. 48) composuit his verbis: „Sed quum de incolis agatur, non tacendum est, quod Zosimus libro primo (sc. I. 68) tradit. Probum imperatorem Vandalos et Burgundios, quos devicerat, in Britanniam misisse, qui sedes hic nacti utilem operam Romanis praestiterunt, quoties aliquis seditionem moliretur. Ubi vero sederint, nescio, nisi in agro Cantabrigiensi. Gervasius enim Tilburiensis meminit antiqui valli in illo agro, quod Vandalsburg vocat, Vandalorumque fuisse opus dicit.“ Poterat sane ita accidere, quod Probum magno studio transferendi fuisse Vopiscus (Prob. 18) et Zosimus (I, 71) auctores sunt, sed obscura certe res adhuc permansit neque viro ill. Lappenberg (Gesch. von England, Hamburg 1834 I 44) consentiendum est, Vandalos illos pro Francis habendos esse; fuisset enim non satis prospicientis, Francos, populum rei navalis non imperitum in insula aegerrime obtinenda collocare.

[84]) De „Albi“ Vopisci (Prob. 13) disceptatio usque adhuc haesitat, quod alii historici flumen Albim, qui in Oceanum Germanicum effunditur, alii amniculos „Alb“ vel „Albis“ per Sueviam fluentes, (Cf. H. Haas, Urzustände Allemanniens, Schwabens und ihrer Nachbarländer etc. Erlangen 1865 p. 11. „Die Albis und ihre verschiedene Bedeutung.“) alii montem, qui vocatur „Rauhe Alb“ intellexerunt. Atorfius omnes fere sententias, quae hac de re exstant, citat p. 25 n. 99. Jam vero ea, quae de locis belli gerendi diximus, respicientibus videbitur et aminiculus „Alb“ e monte Abnoba (Schwarzwald Tac. Germ. 1.) proruens propius et Albis flumen nimis procul abesse. Deinde quod attinet ad grammaticam nescio, an si exprimere Vopiscus voluerit, utrumque esse fluvium, melius dicendum fuerit „Nicrum et Albam fluvios“ non „ultra Nicrum fluvium et Albam“. Denique quum ratione dicendi, qua usus est Vopiscus, illa loca vicina esse colligi possit, de monte esse sermonem putamus, cui nunc nomen est „Schwäbische vel Rauhe Alb“, qui mons inter superiores Danubium et Nicrum fluvios patet. Eandem sententiam paucis exhibent viri ill. Huschberg, Gesch. der Alemannen und Franken p. 147; Staelin, Würtembergische Gesch I. 70; de Wietersheim, Gesch. der Völkerwanderung III. 20, Zeuss; Gesch.

quos repulit. Limitem quoque transgressus in eam Alamannorum, qui prope eum jam sedes ut tutas collocaverant, partem incurrit, [85]) ubi illud, quod imperator vic-

---

der Deutschen und die Nachbarstämme s. v. Alamanni p. 315. Rospatt, Vertheidigungskriege der Römer am Rhein etc. p. 8. Atorf p. 27 in nota 99

Ptolemaeo jam notus erat mons Alba quum dicat II c. 10 (edid. Wilberg Essen 1838) „...... καὶ τὰ ὁμώνυμα τοῖς Ἀλπίοις καὶ ὑπὲρ τὴν κεφαλὴν τοῦ Δανουβίου....“ Diserte appellatur hic mons postea ab Ermoldo Nigello „Alba Suevorum“ (cf. Pertz, Mon. Germ. hist. II. 494.)

Vopiscus ita rem enarrat, ut plane possimus perspicere, de Germania, quam Romani suam dicebant, i. e. intra limitem sitam ac de Albi certe omnino non cogitari posse, id quod facile intelligitur ex c. 14 Prob.: „Sed visum est, id non posse, fieri, nisi si limes extenderetur et fieret Germania tota provincia“ et ex cap. 15: „Volueramus P. C. Germaniae novum praesidem facere, sed hoc ad pleniora vota distulimus.“ Quae vero initio e. c. dicuntur: „Subacta est omnis qua tenditur late Germania“ quisquis cetera respexerit, tantum ad Germaniam Romanam referet. Praeterea ea res fuisset admodum digna, quae memoriae traderetur; nonne igitur mirum videtur, quod posteriores rerum scriptores silentio rem prorsus praetermiserunt? Facile quidem potuit accidere, ut alienigenae (Casaubonus, Gibbon, Tillemont, quibus Clinton assentit in Fast. Rom. p. 316) similibus in errorem adducti nominibus multo notius Albis nomen verum rectumque esse arbitrati Probum usque in interiores Germaniae regiones progressum esse statuerent. Quam sententiam inter nostrates, ut alios praetermittamus, secutus est v. i. Peter, Zeittafeln zur Röm. Geschichte, Halle 1841 p. 226 et 1864 p. 124.

[85]) Vopiscus quum Prob. 13 dixerit: „reliquias ultra Nicrum flumen et Albam removit“ c. 14 pergit sic: „nec cessatum est unquam pugnari....“ Albae mentione facta concludere possumus, quo pugnae tenor a Probo intentus sit, itaque, ubi limes, postquam Albam tetigit, ad septentrionem versus spectat, eo fere loco putaverim Vopisco auctore (c. 14.) novem regulos ad Probi pedes jacuisse. In solo quidem proprio hostium imperatorem fuisse inde elucet, quod frumentum eos et vaccas et oves dare jussit. (c. 14.) Praedam enim redditam non intelligendam esse inde patet, quod eam praeter has res restituere jussi sunt. (eod cap.) Deinde quod eod. cap. legitur: „sed visum est, id non posse fieri, nisi si limes extenderetur“, de rebus ultra limitem gestis dici apparet. Sed haud procul a limite imperatorem fuisse inde concludi potest, quod dicitur c. 15 modo excesso: „Omnes jam barbari vobis arant, vobis jam serunt, et contra interiores gentes militant.“ Denique de imperii finibus trans limitem prolatis non esse cogitandum quum illud „nisi si limes extenderetur“ tum in ipsa victoria renunciata (c. 15) loci documento sunt: „His sola relinquimus sola, nos eorum omnia possidemus“ (acceptis quidem militibus frumento et pecude) et „Volueramus p. c. Germaniae novum praesidem facere, sed hoc ad ple-

toria elatus ad patres refert, accidisse videtur, ut novem [86]) reguli ad pedes suos supplices jacerent. Ingenti terrore et gravi certe clade affecti Alamanni coacti sunt, ut statim multas, quae ad victum pertinent, res traderent atque ex ipsorum numero sedecim millia tironum ad supplendum exercitum Romanum conscribi sinerent. [87]) Neque tamen, quod Romani ipsi senserunt, spes erat, liberos Germanos, nisi major Germaniae pars in ditionem Romanam redacta esset, facturos esse, quae graviter Probus imperasse dicitur inter alia, ut gladiis non usi Romanorum exspectarent defensionem. [88])

Germanos quidem non primus in exercitum Romanum recepit Probus, sed in minores partes per diversas provincias eos ad fines tuendos distribuit, ut et infirmiores essent, quam qui contra Romanos quicquam proficerent neque auxiliares contemnendi. [89]) Sunt quidem, qui vitio Probo vertant, [90]) quod multa barbarorum milia in imperii interiora duxerit. At ille, quum copiae multis proeliis valde attenuatae [91]) essent et finibus im-

niora vota distulimus.“ De expeditione tantum in Germanos semel trans limitem facta cogitari potest, quam occasionem Probus non praetermittendam censuit, quin ab hostibus terrore perterritis et quae ad victum pertinent res et milites ad exercitum replendum necessarios acciperet. Fractae ita a Probo ad breve tempus populi, qui liberae Germaniae magnae erat pars, audaciae eadem fere ratione, qua rerum ab aliis imperatoribus in Germanos gestarum memoria nummis conservata est a Josepho Eckhel doct. num. p. 506 sic descriptis: „Antica varia VICTORIA GERM. typis Victoriae variis.“

[86]) Cap. 14. „Novem reguli ex diversis gentibus“ et c. 15 „novem reges gentium diversarum . . . . jacuerunt.“ Neque a fide videtur res prorsus aliena neque veri omnino modum egredi Quum enim, qualis fuerit Alamannorum origo, constet, (unde hoc loco „ex diversis gentibus“) tantum abest, ut magnus regulorum numerus sit mirus, ut, quantus fuerit, hoc ipso loco probetur. Bella a Juliano cum Alamannis gesta narrans Ammianus Marcellinus multorum hujus populi principum nomina affert. Vopiscum Alamannos haud ignorasse hoc loco (Vop. Proc. 13.) maxime elucet: „nam Alamannos, qui tunc adhuc Germani dicebantur, ... contrivit.“

[87]) Vop. Prob 14.

[88]) Ibid. „Sed visum est, id non posse fieri“ etc.

[89]) Vop. Prob. 14.

[90]) Imprimis vir ill. Schlosser Univers. Uebersicht etc. III. 102.

[91]) Vop. Prob. 15 fine victoriae renuntiatae: „sed hoc distulimus . . . . quum divina providentia nostros uberius fecundarit exercitus.“

perii late patentibus semper imminerent pericula, bene sciebat, necesse esse, quam plurimae continuo copiae haberentur; quare necessitate sola coactus ratione sane ad rem accomodata instituit, quae usus postulabat. Ut causas omnibus notas taceam, cur jam diu Romani corporibus sensim paullatimque effeminatis robustam ac frequentem subolem vix possent procreare, imprimis cogitandum est de peste illa, [92]) quae quindecim annos (252—267) perdurabat et duas e tribus Romanorum partes ex ratione recenter constituta ipso quidem eo tempore confecit, quo, qui Probo imperatore armis ferendis essent, nasci atque adolescere debebant. Romanorum igitur numerum certe valde exiguum adscribere voluit. Ad fines quidem imperii robustior ac frequentior juventus succrescebat, sed quum hoc quoque bello perpetuo magna hominum multitudo consumpta esset ferro, hostium incursionibus imperium fere prorsus patebat. Vim igitur vi quam maxima sustenturus optime fecit Probus, quod milites Germanos in ipso imperii Romani confinio constituit.

Nova, ut tutos a Germanis fines atque imprimis urbes his vicinas redderet, propugnacula opposuit [93]) ac militibus praeter fines praesidio dispositis non agros solum sed etiam, quae alia ad victum cultumque pertinent res omnes ut colonis militaribus tribuit. [94])

[92]) Hac de calamitate ingenti multi loci sunt apud scriptores hist. Aug., Eusebium, Victorem, Eutropium, Orosium, Zosimum, Zonaram etc.

[93]) Conf. extremum caput 13 Vop. Prob., quem locum vir ill. Tillemont (Hist. des emp. t. III p. 1137) in aliam partem accepit, ac dictum est. Quum limitem ab Alamannis, ne, quas incursiones antea jam per Raetiam in Italiam et nuper per agros decumates in Galliam fecissent, denuo susciperent, tueri cum voluisse veri simile sit, de ea limitis parte cogitari potest, quae haud procul a septentrionali Danubii superioris ripa porrigitur quaeque inde ad septentrionem spectat. In veri simili autem nobis est acquiescendum, quum in iis, qui de ea re nobis ad inspiciendum praesto erant, libris de nummis atque inscriptionibus conscriptis nihil, unde loca cognoscerentur, invenerimus. Neque omnino quicquam certi de ea re existere putaverimus, quia e natura rerum evenisse videtur, ut Alamanni, quum ad sedes stabiles collocandas haud ita multo post Probum mortuum intra limitem progressi essent, munimenta, postremo extructa, ne ad sedes diu quaesitas pervenirent, maxime diruerent.

[94]) Vop. Prob. 14.

Munito contra Alamannos limite classem Rhenanam, ut Galliam a Francis tutam redderet, diligenter observandam Bonoso tradidit. [95])

Jam quum Germanis e Gallia agrisque decumatibus expulsis provincias Romanorum ad occidentem spectantes a periculo servasset ac pacem iis vindicasset, exacto fere anno, in Orientem, ut ibi quoque pacem quietemque [96]) plane restitueret, rediit auctumno anni 278. [97])

Primam imperii Probi partem idcirco accuratius pertractandam mihi elegi, quod res ab eo in patria nostra gestas continet, simulque, quae Probo, priusquam imperator factus esset, evenerint, quoad fieri potuit, e fontibus eruere conatus sum. Quae in Oriente et contra imperii aemulos gesserit Probus, imprimis, quomodo seditio illa Saturniniana adhuc obscura exorta ac sedata sit, ea inquirenda postea mihi proposui.

---

[95]) Vop. Bon. 15. Hic (sc. Bonosus) idem, quum quodam tempore in Rheno Romanas lusorias Germani incendissent, timore, n e p o e n a s d a r e t, sumpsit imperium.

[96]) Res a Probo gestae, quales ab aequalibus habitae sint, optime e nummis cognoscuntur, quibus Probus Herculis figura (cf. Eckhel doct. num. tom VII p. 501 et 504) expressus exhibetur. Quos, etsi Probi Romanorum omnes f re nummorum incerti sint anni, percussos esse in memoriam Galliae Romanaeque Germaniae liberatae a Germanis, a praedatoribus Isauriae (Vop. Prob. 17 Zos. I, 70) Aegyptique a Blemmyis (Vop. Prob. 17 Zos. I, 71) veri videtur simillimum.

[97]) Probus quum m. Julio vel Augusto a. 277 in Galliam advenisset, ut ad hiemem in Oriente adesset, necesse erat mense saltem Septembri eo proficisceretur.

Annotationes.

I. Plenum Probi nomen „(C.) M. Aur. Probus“ in nummis solum atque in inscriptionibus invenitur. Conf. Eckhel, doct. num. tom. VII. p. 500—506; Orelli, inscript. lat. 1038—1040, 5555. Illud „C“ et simplici et pleno nomini in nummis praepositum minime Cajum significare, sed Caesarem, facile potest concludi ex voce „Imp.“ (imperator) praescripta. Quam rem haud dubie ita se habere nummi Alexandri Severi nobis sunt testimonio, quorum in aliis est „Imp. C.“ abbreviatum, aliis „Imp. Caes.“ plenius impressum. Cf. Eckhel, tom. VII. p. 270. Quum in multis aliis nummis nomen „Caesar“ perscriptum ante nomen legamus, in Probi quoque hoc „C“, quamvis in ipsis nunquam inveniatur perscriptum, „Caesarem“ esse, non „Cajum“ satis apparet. Quae quidem testimonia nummorum et inscriptionum tantum valent, ut. quod Vopiscus uno tantum loco pleniori nomine usus Aurelii Valerii Probi nomen ei indiderit, (Prob. c. 11) minoris nobis momenti possit videri. Hoc uno loco permotus Clinton in fastis Romanis, Oxford 1845, pag. 316 seqq. Probo nomen M. A u r e l i i V a l e r i i Probi attribuit, cui rei non assentiendum esse credimus. Ne dicam de Malala, qui rerum scriptor fabulosus atque incertus „*Ἤλιον Πρόβον*“ eum vocavit. Cf. Malalae chronographia p. 302 edit. Bonn. Ceteri rerum scriptores omnes simplex nomen Probi usurparunt.

II. Vopiscus de uno tantum filio (sc. Probo) dicit; quare investiganti inopinatum atque improvisum accidit

legere in chronographia compendiaria, quae Nicephori nominatur, (in editione Bonnensi p. 773) episcopum vicesimum primum Byzantinum imperatoris Probi fuisse fratrem Dometii nomine, cui per viginti annos et sex menses clericali hoc munere defuncto Probus filius dicitur successisse ac per duodecim annos episcopus fuisse. Deinde in chronographia traditur, omnes episcopos hoc honore, antequam Constantinus summam imperii teneret, praeditos esse, eumque, quum contra Licinium proficisceretur, Metrophanem, imperatoris Probi fratris filium, (ἀδελφοπαῖδα) episcopum invenisse. Unde sequeretur, imperatoris Probi fratrem inde ab anno fere 291 usque ad annum 312 episcopum fuisse. (Videatur infra tabula genealogica.) Quae quidem res non prorsus praeter fidem esse videtur. Facile enim potuit accidere, ut, quum patre in Aegypto mortuo (Vop. Prob. 3) in patriam sui reverterentur, Dometius remaneret, quod in ipsa Aegypto fidem christianam amplectendi consilium iniisset. Itaque si a suis procul abfuerit, mirum non videatur, cur de eo Vopiscus nihil afferat.

Ad confirmandum autem id, quod legitur in Nicephori chronographia, nobis dicenda esse videntur potissimum haec: Primum ex titulo chronographiae additae in editione citata Syncelli chronographiae in volum. I. pagina 737: *Τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Νικηφόρου Κονσταντινουπόλεως ἀρχιεπισκόπου χρονογραφία σύντομος ἀπὸ Ἀδὰμ μέχρι Χρόνων Μιχαὴλ καὶ Θεοφίλου υἱοῦ αὐτοῦ ἔχουσα οὕτως*“ et ex iis, quae in prooemio chronographiae, cap. I. Theophanes dicit, se, jubente Syncello, hoc opus perfecisse, concludendum esse arbitramur, Nicephorum patriarcham chronographiam componendam mandasse Syncello, celebri aequali, eumque Theophani tradidisse. Quae autem auctoritate Syncelli certis fontibus usi composita atque ab eo sine dubio exactissimo judicio, videlicet pro Nicephoro patriarcha, inspecta ac retractata sunt, vera accipienda esse censemus.

Quae deinde hac in chronographia dicuntur de nominibus temporibusque aliorum episcoporum praestantiorum, aliis quoque locis inveniuntur, ita ut nomina ficta aut falsa esse non facile credendum sit.

Denique mirum est, in chronopraphia tempora et nomina paene sola referente (unde „σύντομος“ nominata)

propinquitatem solius Dometii Probi et Metrophanis allatam esse. Certe in annales ecclesiasticos haec affinitas eximia relata erat, unde in chronographiam transscripta est. Si haec affinitas ad augendam auctoritatem splendoremque ecclesiae christianae ficta esset, non minus mirum esse videtur, cur haec sola propinquitas hoc tempore solo simulata fuerit, neque potissimum inde a tempore imperatorum christianorum episcopi imperatoribus affines crebrius dicantur. Quum porro Vopiscus Prob. 3 dicat, Probum imperatorem Claudio, qui et ipse nonnullis aliis auctoribus erat Sirmiensis, fuisse propinquum, id quod in medio quidem relinquit, attamen verisimillimum confirmat et quum Trebellius Pollio in describenda vita Claudii cap. 13 certum afferat, Claudium fuisse Constantino magno cognatum, inde sequatur, Probum ab anno fere 311—323 et Metrophanem ab anno fere 323—333 episcopos Byzantinos eosdemque ut imperatori Probe, ita Constantino minore licet gradu propinquos fuisse.

His rebus praedictis ex iis, quae memoriae produntur a Trebellio Pollione Vopisco et Nicephoro sive Theophane, hanc composuimus tabulam genealogicam pagina sequenti typis descriptam:

Claudius, Quintillus, Crispus. — Dalmatius sive Maximus.
imp. 268—270

Claudia¹) — Probus²) — Dometius, episc. 291—311⁴)
uxor Eutropii — imp. 276—282

Constantius³) — Probus, episc. 311—323⁴) — Metrophanes, episc. 323—333.⁴)

Constantinus.
imp. 323—337.

[1]) A Vopisco in vita Probi c. 3 „soror Claudii" a melius informato Pollione in vita Claudii c. 13 „filia Crispi" nominata.

[2]) Sepultus a Claudia Vop. Prob 3; quod dicendi genus certe affinitatem quandam indicare videtur.

[3]) A Probo dux institutus Vop Prob. 22.

[4]) Cf. Nicephori chronographia compendiaria:

Dometius episcopus per	20an.	6m.
Probus	12 —	„ —
	32 —	6 —

Constantinus solus regnat inde ab anno 323
— 32
291

Itaque Domitius episcopus 291—311
Probus 311—323
Metrophanes 323—333 (per 10 annos).

Haec memoriae sunt prodita de propinquis Probi singulis. Vopiscus Prob. 24 mentionem posterorum quoque Probi fecit, quos „rem Romanam fugisse et id quod opulentiae cujusdam est, post Probi mortem „circa Veronam ac Benacum et Larium lacus locasse" dicit.

De propinquis Probi in dissertatione recentissima Atorfii: De Marco Aurelio Probo Romanorum imperatore, Monasterii 1866, quae hoc opere jam perfecto mihi praesto erat, allata sunt haec sola in annot. 18. p. 1: „Nonnulli eam (sc. matrem Probi) Claudio consanquineam fuisse putant; cf. Salmas. nota ad Vopisc. Prob. 3. — Fratrem non habuit, sed unam sororem, cui nomen erat Claudiae cfr. Vopisc. 1." (?)

III. De recuperanda Aegypto imperatore Aureliano non ea plane secuti sumus, quae Vopiscus tradit, quod de ea re erroribus videtur captus esse, quum dicat, quae cum aliis ab ipso allatis aperte pugnant. Capite enim nono (de Probo) dicit, Probum contra Palmyrenos pro Odenati et „Cleopatrae" partibus defendentes pugnasse. (Non potest nisi de Zenobia cogitari, quae eo nomine tunc a Romanis fortasse appellari solebat, quippe quae altera quasi esset vel Syrica Cleopatra. Nam Treb. Pollio trig. tyrann. capite 29 de Zenobia dicit: „Zenobia, quae se de Cleopatrarum Ptolemaeorumque gente jactaret") Quum et contra Odenatum et contra Zenobiam Probus dicatur pugnasse, multo ante oportebat in Aegypto esset, (Odenatus enim a. 267 interfectus est) quam ipse Vopiscus auctor est, narrans, Probum a Gallieno post captum Valerianum Illyrico praefectum esse, (Prob. 6) quem locum Aureliano imperatore adhuc eum tenuisse satis plane auctore Vopisco demonstrasse me putaverim. (conf. annot. 26.) Quae quum ita sint, Probus contra Odenatum dimicasse dici non potest.

Sub idem tempus in Aegypto Probum quendam, quem Treb. Pollio in Claud. c. 11 Probatum vocat, pugnasse scriptores Graeci nobis sunt auctores. Qua fama facile potuit fieri, ut Vopiscus illum Probum pro M. Aurelio Probo majoris huic tribuendi causa honoris putaret. Zonaras XII, 27, Syncellus p. 721, (ed. Bonn.) Zosimus, qui pluribus hac de re disserit, I, 44, omnes consentiunt, Probum quendam fuisse quidem, sed ille dicit, eum esse captum, hi mortem sibi ipsum

conscivisse confirmant. Zosimus praeterea illum Probum antea „καθῆραι τῶν καταποντιστῶν τὴν θάλατταν ἐκ βασιλέως ταχθέ'ς,“ .... quod Probo, de quo dissertatio est, mandatum esse non sunt auctores. Incertis igitur quibusdam de Probo illo rumoribus Vopiscum commotum, quae ille gesserit et quae ei evenerint, ea Probo postea imperatori tribuisse eluceat, quamobrem in capite IX ita dixisse videtur: „Pugnavit etiam (sc. Probus) ...... primo feliciter, postea temere, ut paene caperetur, sed postea refectis viribus, Aegyptum et Orientis maximam partem in Aureliani potestatem redegit.“ Cum illo quoque „Aegyptum redegit in Aureliani potestatem“ (sc. Probus) pugnat, quod ipse Vopiscus Aurel. c. 32 dicit: „Ad quem (sc. Firmum, qui sibi Aegyptum vindicaverat) continuo revertit; (sc. Aurelianus) nec illi defuit felicitas solita. Nam Aegyptum statim recepit,“ unde sequitur, Aurelianum ipsum recuperandae Aegypto interfuisse, id quod Zosimus quoque I, 61 confirmat, dicens: „Αὐρηλιανὸς δὲ .... σὺν τάχει δὲ καὶ Ἀλεξανδρέας στασιάσαντας καὶ πρὸς ἀπόστασιν ἰδόντας παραστησάμενος, κ. τ. λ.

Jam vero auctores, quorum unus Aurelianum, reliqui Probum Aegyptum expugnasse tradunt, eo videntur convenire, Probum Zenobia devicta terram defensoribus exutam occupasse, haud ita multo post vero, ut seditio a Firmo commota opprimeretur, Aurelianum in Europam jam profecturum ad Probum, qui solus ei par non esset, adjuvandum redire coactum esse.

Quin fuerit quidem in Aegypto Probus, certe dubium non est, quum, nisi ita esset, Vopiscus de operibus in Aegypto ab eo exstructis loqui non potuisset, sed, quamdiu illic affuerit, false tradidit.

Sententiam, Probum vel Probatum, qui cum Palmyrenis in Aegypto pugnavit, non esse M. Aur. Probum postea imperatorem, jam exhibuerunt Hoyns, dissert. de Odenati et Zenobiae rebus gestis p. 17 et Atorf, dissert. de M. Aurel Probo p. 7 sq. Ab his acerrime dissentit Johannes Oberdick, qui Probum jam antea in Aegypto dimicasse demonstrare studet. Quod Odenatum Probi adversarium fuisse dici non potest, Joh. Oberdick in illo Vopisci (Prob. c. 9): „Pugnavit etiam (sc. Probus) contra Palmyrenos pro Odenati et Cleopatrae partibus etc.“

Vaballathum (sc. Zenobiae filium, qui post Odenatum mortuum una cum matre imperium Orientis tenuit) pro Odenato legere proponit. (cf. Bemerkungen zu den palmyrenischen Inschriften im 18. Bd. der Zeitschr. der Deutsch. morgenländ. Gesellsch. p. 747; die neuesten Textesausgaben der script: hist. Aug. in der Zeitschr. für österr. Gymnasien 1865 p. 745; Beiträge zur Gesch. des Röm. Orients vom Jahre 267 bis 274 p. 8 et 13 in dem Programme der Realschule erster Ordnung in Neisse für das Schuljahr 1865/66) Praeter ea, quae jam supra dixi, haec pauca afferam ad sententiam refutandam. Zosimus I, 44 certe non cogitavit de Probo postea imperatore, quod Probum, de quo l. c. sermonem facit, sibi ipsum manus attulisse tradidit. Probum pro Probato, quem Treb. Poll. Claud. 11 commemorat, scriptum esse a Zosimo non concedendum esse arbitror, quod Zosimum hoc loco foutibus certis usum esse elucet. Praeterea res gestae Probi a me explicatae docere videntur, Probum, priusquam Aurelianus eum aut secum duxerit aut arcessiverit in Orientem, semper in Occidente fuisse ideoque Claudio imperatore non in Aegypto agere potuisse manifestum est.

IV. Quamdiu Probus imperium tenuerit, certe constituere aliquid difficultatis affert. Eusebius, Caesareae episcopus, qui, quum anno 340 sit mortuus, longe non aberat ab aevo Probi, libros chronicos scripsit usque ad a. 325 continuatos mensura temporum Olympiadis spatio usus. Qui annalium scriptor primo anno 264. Olympiadis ut secundo Probi adjungit aerarum plurium urbium Syriacarum annos atque Manichaeorum haeresis initium, quod alterum profanis alterum ecclesiasticis rebus est magni momenti. Imprimis aerarum anni certi constituendi erant. Ita imperii Probi initium anno 276 factum est. Si enim primo anno 264. Olympiadis secundum jam annum imperium tenebat, initium fuerit imperii necesse est primo anno ante, quam illa Olympius inciperet i. e. ultimo 263. Olympiadis anno. Ex quo igitur Olympiadum ratio erat adhibita, ab a, 776 a. Chr. usque ad Probum imperatorem ducenteni sexageni terni quater i. e. 1052 anni praeteriti erant, qui deminuti Olympiadum annis 776 sunt 276 p. Chr. n.

Deinde Bucherius in commentario ad Canonem paschalem Victorii composito fragmentum codicis fastorum affert, in quo praeter diem, in quem inciderunt Kalendae Januariae anni bissexti littera „B“ (bissextus) designati sunt. Consules eadem hac ratione enumerati sunt, qua in certissimis fastis consularibus Cassiodori Prosperi Idatii etc.

Tacito II et Aemiliano B
Probo I et Paulino
Probo II et Lupo (s. Paterno)
Probo III et Paterno
Messala et Grato B
Probo IV et Tiberiano
Probo V et Victorino
Caro et Carino.

Jam vero quum Probum annis solis vel 275 vel 276 vel 277 imperium iniisse certo Diocletiani imperii primo anno aera martyrum a. 284 constituto atque e testimoniis, quamdiu superiores Diocletiani imperium tenuerint, a scriptoribus satis magno consensu allatis constet atque annus Taciti Aemilianique fuerit bissextus, alio nisi anno 276 poterat imperium inire, cujus initio, mortuo Tacito, mox successit Probus. Annos vero bissextos recte esse constitutos inde videmus, quod Ammianus Marcellinus 26,1 primo imperii Valentiniani I anno (364) hanc notam addidit; „Nec videri die secundo nec prodire in medium voluit, bissextum vitans Februarii tunc illucescens, quod aliquoties rei Romanae cognorat infaustum.“ Annus 364 erat igitur bissextus, cui bis et vicies deducto spatio quaternorum annorum reliqui summa fit 276.*) Annus 276 et ipse bissextus erat.

Deniqne recte putari hoc anno initum a Probo imperium ex inscriptione quoque patet, quae est apud Orelli inscr. lat. num. 1040, qua quarti consulatus annum imperatoris eundem fuisse sexti tribunatus videmus. „Imp. Caesari M. Aurelio Probo Pio Fel. Invicto Aug. P. M. Trib. Potestatis VI. Cos. IIII. Res publica Tuccitanorum Devota Numini Majestatique Ejus etc.“ Jam vero quater Probus consul erat post annum altero „B“

*) 22.4 = 88
364—88 = 276.

designatum, quem, quum annus bissextus priore „B“ designatus sit 276, annum 276 + 4 + 1 i. e. an. 281 esse elucet. Qui annus si idem fuit sexti tribunatus, (qui honor nulli imperatori non tribuebatur, et Probo quidem tribuniciam potestatem, simulatque imperium iniisset, tributam esse, a Vopisco Prob. 12 narratur) ex quo praeter potestatem consularem numerari solebat, necesse est, Probus cum anno 276 primum acceperit.

Eundem annum, si quis forte, num recte numeraverimus, sit inquisiturus, inveniet a certo quodam tempore retro ratiocinatus, veluti ab anno initii imperii Diocletiani, aera Copti, quae et aera martyrum dicitur constituto 284 (Conf. Scaliger, de emendatione temporum novum opus Lutetiae 1586 lib. V p. 245). Quum enim omnes fere scriptores consentiant, Carum Carinum et Numerianum Diocletiani imperio praecedentes summatim per duo vel tres non plenos, Probum fere sex annos summam rerum tenuisse, deductis his octo annis de illo certo anno 284 fit annus 276 initium imperii Probi.

Ita haud dubie annus 276 certus est. Jam quum omnes meliores fasti Probi nomen quinquies i. e. omnibus deinceps annis inde ab anno 277 uno tantum excepto 280 (Messala et Grato coss.) commemorant, sex annos inde ab anno 276 usque ad. an. 282 imperatorem Probum fuisse elucet. Sequenti anno 283 non jam consulem fuisse inde apparet, quia non alia, quae Probo etiam imperatore duorum consulum esse potuerunt, nomina afferuntur, sed maxime, qui ei successit, Cari ejusque filii. Illum annum 283 Baronius in annalibus ecclesiasticis ab eo compositis finem imperii, quod initium anno 279 ceperit, Probi posuit. Sed cardinalem in errore versari certum est, quum, qua ratione res se habeat, satis explicasse nobis videamur.

Jam vero, quo facilius Probi imperium brevius fuisse persuaderet, illud affert argumentum, quod in nonnullis fastis Probi consulatus secundi collega dicitur pro Lupo Paternus, quos in fastis Prosperi Cassiodori Victorii etc. anno interjecto collegas Probi fuisse traditur. Qua re nisus Lupum dicit fuisse consulem subrogatum, ut annum chronologiae suae acquirat, ratione autem non habita, quod inde a Septimio Severo tantum consules ordinarii nomina sua una cum imperatoee rescriptis sub-

scribebant, quorum quidem a Probo et Lupo subscriptum etiam nunc restat, ita ut eum non fuisse subrogatnm appareat. (Cod. Just. II tit. 17. I. 1.)

Deinde haud ignoramus, Baronium necessitate, ut annum demeret, fuisse coactum. Rationem enim temporum a Christo nato quum tres annos serius instituat, quam assolet fieri neque initium imperii Diocletiani certe constitutum posset mutare, Gallieni imperium duobus annis — post mortem Valeriani eum dicit solum sex annos imperium tenuisse (263—269), qnum alii octo annos afferant — Probique uno deminuit anno, ut annus 284 congrueret.

Ut accuratius spatium imperii ex fontibus, eruamus, a certo quodam die nobis exeundum est.

Ponamus diem 25. mensis Septembris anni 275, quo die Tacitus imperator est electus, ut ex Vop. Tac. c. 3 constat, cui loco Vopiscus Prob. 11 consentit, quo de Tacito imperatore superiore proximo anno creato est sermo, qui imperator, quum sex vel septem menses imperium tenuisset, obiit.

Vop. Tac. 13. Interemptus est sexto mense.

Eutrop. IX., 16 Intra sextum m. morte praeventus.

Oros. VII. 23. Sexto mense occisus est.

Victor epit. et de Caess. ducentesimo die imperii mortuus est.

Chron. Euseb.	mense VI occisus est
Chron. Hieron.	
Cassiodor	
Prosper	
Abul Faradsch, convertit Pockock .	

Zonaras XII, 29 *ἀνεῖλον οὔπω ἕβδομον μῆνα παρὰ τῇ βασιλείᾳ ἀνύσαντα.*

Contra haec testimonia nihil valet, quod Zonaras addit: „*κατὰ δέ τινας μὴ ὅλους δύο ἐνιαυτούς*“ Duobus quidem annis regnavit Tacitus, neque tamen duos annos.

Fontium, quos supra de Taciti imperio attulimus, Victoris locus proxime nobis ad verum accedere videtur et quod dies indicare est certo scientis et quod viri ill. Niebuhr et Bunsen cum iis consentiunt, qui notas ab Aurelio Victore allatas ex inscriptionibus fori Augusti depromptas esse dicunt.

Ita mortuus est Tacitus die undecimo mensis Aprilis anni 276. Nam inde a 25. die mensis Septembris a. 275 usque ad 11. diem m. Aprilis 276 fit summa dierum ducentorum.

Jam quo mense imperium Probus re vera inierit, inter tres terminos haesitare potest, num quo Tacitus mortuus sit, quod Vop. Prob. 10 Probum, Tacito interfecto, imperatorem esse factum legimus, an quo Florianus mortuus sit, an quo senatus Probum comprobaverit. Quod attinet ad extremum hunc terminum supra jam diximus, senatus comprobatione nondum accepta imperatoria potestate jam usum esse Probum, sed de superioribus diebus, quum alii rerum scriptores aliter sentirent, exinde controversia in afferendo imperii Probi spatio exorta est. Jam vero quum jure imperii hereditario deficiente omnes quasi eodem jure de regno inter se contendant neque quicquam aliud imperatorem efficiat, nisi vel fortuna vel militum amor vel alia ejusmodi, is recte dicitur imperator, quocum de imperio jam nemo luctatur, id quod haud raro apud Romanos imperatores accidit. Itaque interfecto Floriano demum imperii Probi initium factum esse aequo jure dici potuit.

Duo vel tres menses scriptores tradunt Florianum imperium retinuisse.

Aurel. Vict. de Caess.	unus aut alter mensis
Vict. epit.	60 dies
Malalas	2 mens.
Orosius	tertio demum mense occidit
Eutrop.	2 m. 20 d.
Chron. Euseb.	82 d.
Cassiodor	84 d.
Prosper	88 d.
Syncellus	88 d.

Moses Chorenensis quatre-vingt-huit jours I, 76 (convertit P. E. le Vaillant de Florival).

Tempori quam optime eligendo hunc locum adhiberi posse putaverim. Zosimus dicit I. 64: „*οἱ Φλωριανῷ συντεταγμένοι ἐν τῷ θέρει γινομένου καύματος νόσῳ δεινῇ περιπίπτουσι κ. τ. λ.* Cui narrationi ne levis quidem suspicio subest, quia minus ad tempus constituendum, quam ad rem explicandam adjungitur. Illo „*ἐν τῷ θέρει*“ Zosimus certe anni tempus, quando

solis ardores sunt maximi, omnino summam aestatem indicare voluit. Neque cum eo discrepat numerus 88 dierum, quem aliorum testimoniorum medium fere exhibentem tres rerum scriptores (Prosper Syncellus et Moses Chorenensis) tradiderunt. Ita, si quam accuratissime tempus constituere velimus, diei 11. mens. Aprilis 88 dies addentes, die octavo m. Julii summam potestatem solum Probum tenuisse pro satis certo habere possimus.

Anno 282 imperium finitum esse pluribus jam demonstravimus et quae ad hanc rem afferunt scriptores, in eodem conveniunt, ut de anno quidem dubitatio esse nequeat. Mirum est praecipue, quod Vopiscus maxime cum ceteris, qui omnes magis inter se consentiunt, dissentit Prob. 21 sic dicens: „Interemerunt anno imperii sui quinto et c. 22 „Quinqnennio enim imperii sui etc.“

Ceteri auctores haec:

Aurel. Vict. de Caess. 37: Paullo cis sextum annum.

Zonaras XII., 29: *Ὁ δὲ χρόνος τῆς αὐταρχίας τοῦ Πρόβου οὐχ ὁλόκληροι γεγόνασιν ἐνιαυτοὶ ἕξ.*

Chron. Pasch. 6 anni.

Plurimi auctores afferunt 6 a. 4 m. (cf. Clinton.) Julianus imperator in libro suo, qui inscribitur: *Καίσαρες*“ dicit de Probo: „*ἐν οὐδὲ ὅλοις ἐνιαυτοῖς ἑπτὰ . . . . ἀναστήσας ἐτιμᾶτο ὑπὸ τῶν θεῶν κ. τ. λ.* et Abul Faradsch (convertit Pockock): Imperavit autem annos VII.

Varietatis causa inde verisimilitudine quadam repetenda videtur, quod alii, ut Victor et Zonaras a Floriani morte (unde „*αὐταρχία*“ Zonarae) alii, quibus adnumerare velimus, qui annos 6 menses 4 afferunt, a morte Taciti rationem instituerint, alii denique, inter quos Julianus et Abul Faradsch, ut numerum explerent, verum aliquantulum egressi sint.

Quodsi igitur imperii spatium, quod plurimi et quidem certi auctores tradiderunt, tenemus, ratione inde a morte Taciti die 11. Aprilis instituta, sequitur, ut, sex annis et quatuor mensibus (completis) intermissis, die undecimo mensis Augusti a. 282. Probus mortuus sit.

Quum vero in Chron. Euseb. inveniantur haec: „Tacitus 30. regnavit menses sex. Quo occiso in Ponto, regnavit Florianus dies 82. Eoque interfecto Tarsi 31. regnavit Probus „annos VI. menses IV.“ rectum esse videatur, diei, quo Florianus mortuus sit, addere illos annos VI. et menses IV.

Idem fere apud Orosium (VII. 23) legimus, qui scriptor, ut comparatione probari potest, in computandis temporibus semper Chron. Euseb. sequitur. Jam vero quum Eusebius eumque auctorem secutus Orosius Tacitum imperatorem tricesimum ac Probum tricesimum primum dicant, certe hac de causa praetermisso Floriano, quod, ut qui imperium non legitimum tenuerit, eum in imperatorum numero referre omnino noluerint, sequatur, in constituendo imperii Probi spatio eos inde ab eo, qui e lege praecessisset, imperatore rationem instituere voluisse. Itaque illud Eusebii sic intelligendum esse putaverim:

Quo (sc. Tacito) occiso, regnavit (sc. illegitime) Florianus dies 82. Eoque interfecto 31. regnavit (sc. ut imperator legitimus Tacito succedens) Probus annos VI menses IV. — Quodsi igitur Probus imperium Tacito mortuo, ut re vera accidit, inivit initumque plurimis auctoribus per VI annos et IV menses tenuit, imperii fines incidit in diem undecimum m. Augusti a. 282. Cui diei id quoque congruit, quod raro consensu omnes — neque Eusebius in libris chronicis ab iis dissentit — tradunt, Carum cum filio duos annos imperium tenuisse, quum Diocletianus d. 17. m. Septembris a. 284 factum esse imperatorem constet. (f. Clinton A. D. 284 p. 324).

Jam vero si illum chronici Eusebii locum ad verbum interpretamur, Probus, Floriano mense Julio interfecto, secundum eos, qui brevissimum spatium (sex annos) afferunt — excepto Vopisco, quem errare liquet — usque ad mensem Julium anni 282, secundum multos vero, qui diutius eum imperasse (sex annos quatuor menses) consentiunt, usque ad Novembrem rerum summam tenuit. Mense Julio posito sequitur Carum filiosque duos annos et duos menses, mense vero Septembri statuto unum annum et decem menses usque ad Diocletianum creatum imperasse. Sed certe mirum videtur, quod, quum ad menses ac dies ipsos, quamdiu imperium tenuerint, de omnibus fere imperatoribus aliis magna cum diligentia traditum sit, de ipso Caro ejusque filiis inter omnes constat, „duos annos“ in imperio fuisse. Quodsi

consideramus, in Chron. Euseb. Probum et Florianum **simul** imperium tenentes non satis accurate alterum **post** alterum imperasse dictos esse, non jam videmus, quid difficultatis rei subsit.

Jam altera res sententiae nostrae repugnat. Alexandrini exstant nummi Probi, (cf. Eckhel t. IV p. 95) qui, quum annus „η" i, e. octavus iis sit impressus, annis ex periodo Alexandrina inde a. d. 29. mensis Augusti (i. e. a primo die primi Aegyptiorum mensis Thoth) numeratis, post hunc diem percussi sint necesse est, unde sequi possimus putare, Probum demum praeterito die 29. Augusti a. 282 esse mortuum itaque Clinton (cf. A. 282 p. 322) sic dicit: „Probus survived Aug. 29. A. D. 282. He reigned at the least till **September**, 6 years 5 months from April A. D. 276." Quum jam satis constet, quando Diocletianus imperium inierit neque usquam minus duos annos Carum cum filiis imperasse, inveniamus (cf. Clinton A. 284 p. 326) necesse esse videatur, Probi mors in spatium diei 29. Aug. et diei 17. Sept. anni 282 interjectum inciderit.

De quibus haec dixerim.

Primum quod attinet ad nummos illos Alexandrinos, fieri potuisse mihi visum est, id quod apud Eckhel (doct. num. tom. VII p. 506) comprobatum legi, ut quum supremus Probi dies haud multo abesset ab initio anni Alexandrini, in hunc novum annum, qui exstant perpauci (cf. Eckhel) nummi, jam percussi essent, priusquam e Pannonia Alexandriam Probum mortuum esse nuntius allatus esset. Itaque his nummis, id quod Clinton praetermisit, minime cogimur, ut diem Probi necis in mensem Septembrem proferamus.

Deinde Cari filiorumque imperium, nisi plus spatii, certe duos annos implesse videtur, quum de hoc imperio certissimi fontes, ut jam diximus, consentiant; immo, quum Eusebius in hist. eccles. de „οὐδ' ὅλοις τρισὶν ἐνιαυτοῖς" dicat, certe quidem de clade Carino postea (m. Majo a. 285 nisi prius) illata cogitans, paulo amplius duos annos quam minus imperasse Carum Carinum et Numerianum putare maluerim, Tum considerantibus, Numeriani, priusquam Diocletianus imperator fieret, ab Apro interfecti imperio jam ante d. 17. m. Sept. finem esse impositum, ita ut dies, subtractis duobus annis, etiam propius adesset diei Probi necis, eo veri similior videatur ille dies ut vitae supremus Probi, quem supra constituimus (11. d. m. Aug.) Quem quidem prorsus certum esse non confirmaverim, at certe, quae ad eam rem pertinent, caute e fontibus, qui praesto sunt, erutis, invenisse mihi videor.

Clinton, qui nummis illis Alexandrinis permotus Probi diem supremum protulit, imperium Cari filiorumque unum annum et undecim menses durasse dicit (A. 284 p. 326) neque, ut sibi constans debebat, Probi mortem usque ad mensem Octobrem protulit. (m. Septembris a. 284 deminutus uno anno et undecim mensibus est m. Octobris a. 282.) Sed eadem, qua illic, licentia usus sex annos quinque menses Probum imperasse statuit, (A. 282 p. 322) quamvis fontium auctoritate id minime probari possit.

Omnino loco illi (A. 282 p. 322) „Probus survived . . . . usque ad „from the beginning of July" dubitationis aliquid inesse legenti occurrit. Propter nummos mortuum esse Probum non ante mensem Septembrem dicit, ratiocinatus inde a mense Aprili a. 276 atque Eusebii aliorumque rationem minime refutans fine mensis Octobris — accuratius dixisset initio mensis Novembris — Probum obiisse simul concedit. Atorfius, qui ratione a certo die retro ratiocinandi non usus est, nummis illis Alexandrinis commotus in mensem ineuntem Septembrem Probi mortem incidisse putat. (p. 61.) Sed ignorasse videtur, quae his de nummis dixerit Eckhelius loco ab ipso Atorfio citato. (tom. VII. p. 506). Praeterea Atorfius, quum rectam esse opinionem eorum, qui exhibeant sex annos et quatuor menses imperii, putet (p. 61.) simulque constare (p. 60.) dicat, Probum mense Aprili esse adeptum imperium, mense **Augusto** Probum mortuum esse dicere debebat.

Quod attinet ad tempora a viro ill. Clinton mutata, hanc in chronologia rationem maxime tenendam esse putaverim, ut quae a scriptoribus certis, qui a tempore descripto, de quo sermo fit, haud multo aberant, memoriae tradita sunt, iis inter dies certe constitutos, ut dies 25. m. Septembris anni 275 et dies 17. m. Septembris a. 284 sunt, quam minime mutatis uti studeamus.

Conf. huic expositioni chronologicae imprimis Tillemont, hist. des emp. tom. III. notes sur Probe p. 1211 seq., Noris cardinalis, annus et epochae Syromacedonum urbium Lipsiae 1696, Eckhel, doctrina nummorum tom. IV et VII et Clinton fasti Romani. pag. 316 seqq.

V. Rem ita se habuisse, plura possunt, certe indicia afferri. Iter enim ex Oriente in Galliam et Germaniam cisrhenanam erat plus spatii trimestris, id quod in operibus de imperatoribus Romanis conscriptis non jam satis adhibitum est, quamvis inde plura firmitate magna deduci possint.

Legio qnotidie proficiscebatur duodeviginti millia, (i. e. millia passuum, passus vero constat e quinque pedibus, ergo mille passus sunt 5000 pedum i. e. $^5/_{24}$ milliarii germanici; 18 millia = $^5/_{24} \times 18 = {}^{15}/_4 = 3^3/_4$ milliaria germanica) eadem fere, qua nostri milites, ratione. Jam vero mensi milliaria spatia, quae in tabula Peutingeriana atque in itinerario Antonini invenimus allata, haud fere dissentientibus nostris terrarum descriptoribus, videmus, Tarsum, unde, quum Floriani copias accepisset, imperator haud dubie iter ingressus fuisset, a lacu Lemano — ac Probus meridianam viam militarem deligeret necesse erat — distare fere millia 1385, quod iter erat 77 dierum, (18/1385 = 77) quadrante, qui otio consumi solebat, addito = 19 summa fit 96 dies. Neque Probus, quum mense Julio summam imperii accepisset, ante mensem Augustum vel Septembrem iter potuisset instituere. Ex numero dierum ad conficiendum iter necessariorum nuper constituto apparet, media hieme, si nullum impedimentum itineris moram efficeret, Probum in locum belli gerendi perventurum fuisse. — Jam certo argumento, iter eum anno demum 277 ingressum esse, id est, quod in libris chronicis Hieronymi legimus: „Anno 2293 Probi secundo Probus Gallias a barbaris occupatas ingenti virtute restituit.“ Porro exstat rescriptum de revocandis donationibus (Cod. Just. VIII tit. 56, I, 2 Lugduni apud Hugonem 1546 p. 1112) Probo et Paulino consulibus (i. e. 277) datum Sirmii d. 5. m. Maji, unde patet, eo tempore Probum Sirmii fuisse in Galliam certe profecturum. Consequatur inde, sero admodum in Galliam et Germaniam imperatorem venisse, quo, quum iter esset amplius duorum mensium, mense Julio vel Augusto demum pervenire potuisset.

At de Wietersheim, ut probaret, antea jam, quam ex die edicto illi adscripto colligeretur, in Gallia adesse Probum potuisse, conjicit, (Gesch. der Völkerw. III. 460 n. 20) ex usu potuisse fieri, ut rescripta minoris gravitatis in curia scribarum, ubivis esset, expedita, die adscripto, imperatori, ut nomen subnotaret, submitterentur. Re vera accidit nonnunquam, ut Romae edictis dies adscriberetur, imperatoribus, id quod e fontibus apparet, absentibus, ita ut die jam antea inscripto imperatores submissis edictis nomen subnotasse verisimile sit, sed quum imperatorem hac occasione scribas secum duxisse eo satis pateat, quod non Romae sed Sirmii, quod quidem oppidum erat in itinere situm, edictum datum est, non esse putaverim, cur die adscripto mox nomen imperator non subnotaret. Probabilius est, quod de Wietersheim (ibid.) dicit, qui leges postea collegissent, minore diligentia animos intendisse ad dies, quippe qui ad rem parum pertinere viderentur.

Sed diem, de quo hic agitur, verum esse probabilitas magna est. Probus enim, quum haud dubie ex Oriente vere ineunte esset profectus, ut Sirmii initio mensis Maji esset, facile potuit fieri. Nam quum ad iter Byzantio usque Sirmium conficiendum mensis esset necessarius, inde, quod initio mensis Maji fuit Sirmii, rerum ratione habita, consequitur, fine mensis Martii Byzantio eum esse profectum. Videtur igitur Probus, auctumno et hieme a. 276 in Asia minore, ut res post Floriani mortem gerendas perficeret, consumptis, in Europam vere ineunte a. 277 transgressus m. Majo Sirmii fuisse itaque fine m. Julii vel initio m. Augusti in Galliam venisse.

Huc accedit, quod e re quadam a nonnullis Graecis narrata, Probum serius in Galliam venisse, magna verisimilitudine sequitur. Zosimus (I, 67) enim et Zonaras (XII, 29) et Cedrenus, (edit. Bonnensis tom. prior p. 463) ut portentorum studiosi, commemorant, hoc in bello frumento pluisse. Quod quidem recte interpretatus de Wietersheim (t. III an. 20 p. 460) dicit, occultam hostium magnam frugum copiam repertam esse, sed ne sententiae suae, Probum ante m. Julium (ibid p. 459) in

Galliam advenisse, repugnaret, quae inde sequeretur, amplius inquirere noluit. Sane enim sequitur, exercitum Romanum, quum sero advenisset in Galliam, messe jam magnam partem perfecta, in agris multum frumenti non invenisse.

Tillemontius, quamvis sententiam, Probum initio anni 277 in Oriente adhuc fuisse impugnat, (hist. des emp. t. III. p. 1214 n. II) tamen nihilo minus die 5. m. Maji Sirmii eum fuisse assentit. (ibid. tom. III. p. 1134.)

Vita.

Natus sum Adolphus Böhm Berolini die VI. m. Januarii a. MDCCCXLI, patre Francisco matre Augusta e gente Plüschow. Fidem profiteor catholicam. Nissae, quo puerulus una cum parentibus veni, primis litterarum elementis imbutus sum. Vratislaviae, quo pater stipendia emeritus administer ordinis publici collocatus est, scholae parochianae ad St. Dorotheam rector A. Häckel, qui vir optime de me meritus est, me erudivit. Quum per novem annos gymnasium catholicum Vratislaviense, quod adhuc floret auspiciis viri ill. Wissowa, cui semper animum gratissimum servabo, frequentassem, testimonio maturitatis instructus die XVIII. m. Octobris a. MDCCCLXII Almae Universitatis Viadrinae civibus adscriptus sum. Ibi per novem semestria scholis interfui.

Sed res meae erant ejusmodi, ut interdum a studiis abducerer. Quum deinde proximo semestri aestivo Minervae iniquo multi commilitones in Bohemiae valetudinaria se conferrent, et ipse particeps fui hujus expeditionis, ut pro viribus militum et nostrorum et adversariorum labores sublevarem eorumque mederer doloribus. His impedimentis exceptis totum me tradens studiis praeceptoribus academicis usus sum his: Bernays, Braniss, Cauer, Elvenich, Haase, Junkmann, Neumann, Oginski, Roepell, Rossbach. Quibus omnibus viris illustrissimis, quantam debeam gratiam, certe semper praedicabo.

Theses.

I. In tractandis bellis ab imperatoribus Romanis gestis magis quam adhuc respiciendum est tempus itineribus consumptum.

II. Tyrannidibus Graecis septimo saeculo a. Chr. n. originem dedit maxime mercatura aucta.

III. Leges Burgundionum primae ante annum 470 latae sunt.

IV. Gens, quae vocatur „Guise“, e gente Carolingorum fuit.

V. Res gestae eo modo optime docentur, ut methodus ethnographica cum synchronistica apte conjungatur.